

www.e-rara.ch

**Disputationum iuridicarum selectiorum in inclyta Basiliensium
Universitate disquisitioni publicae ac solenni expositarum volumen
singulare**

Decker, Johann Jakob

Basileae, anno 1675

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-20228>

Georgius Fridericus Weng, Nördlingensis. Disputatio inauguralis de donationibus coniugum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

GEORGIUS FRIDERICUS Beng/
Nördlingensis.
DISPUTATIO INAUGURALIS
DE DONATIONIBUS CONJUGUM.

Die Septembr. Anno 1673. habita.

T H E S I S I.



Um variæ dentur donationum species, quarum aliæ sunt jure Civili receptæ, aliæ verò infirmatæ, nobis autem hic sermo sit de jure, quod observatur circa illam inter Maritum & uxorem; præmittere lubet in genere definitionem donationis: Quæ est actus, quo donum in aliquem conferitur; sive, quo alteri aliquid donatur. Et quantum interdum sit pactum legitimum

l. si quis argentum 35. §. 4. C. de donat: quatenus nimirum consistit in nuda conventionem, & sic ratione sui initii ita dictum: interdum contractus, quatenus nonnunquam fit per stipulationem vel contractus innominatos, *l. 7. C. de his quæ vi: met: caus. l. contractus. 17. C. de fide instrum. l. si quis emptionis penult. C. de præscript. 30. vel 40. annor. & sic ratione sui medii: Interdum deniq; modus acquirendi dominii, quando nimirum rei traditio fit de manu in manum. & ita ratione sui finis. Placuit tamen generis loco apponere actum, quia verbum hoc generalissimum est & latè patens, ita ut omnia, quæ quovis modo aguntur comprehendat. *l. obligationum 3. §. 1. in fin. ff. de Obl. & Act. l. Labeo 19. ff. de V. S. l. eum qui 41. in pr. ff. de V. O. l. actus 77. ff. de R. J.**

II.

Objectum est donum, quod consistit in omnibus rebus in commercio nostro existentibus, sive sint mobiles, sive immobiles: *l. 1. C. de don. sive corporales, sive incorporales. l. 9. pr. ff. de don. l. 18. C. d. t.* Alienæ verò rei cum effectu, ita ut per traditionem dominium ejus transferatur in accipientem, donationem fieri posse ne-

gamus, per *d. l. 9. §. fin. de don.* An verò omnia bona tam præsentia, quam futura quis donare queat, magnæ quæstionis est? Affirmativa, cui multi Magni Nominis Jcti contra alios subscribunt, placet, & quidem propter expressa verba *l. 35. §. 4. & 5. C. d. 1.* ubi Imperator probat, quod etiam bona futura donari possint, modo in conventionione donationis expressè mentio facta sit: 1. nominum & actionum, 2. bonorum tam mobilium, quam immobilium, 3. tam præsentium, quam futurorum: simpliciter enim si mentio facta fuerit donationis, ea comprehendit tantum bona præsentia & non futura. *l. 7. ff. de Aur. & Arg. leg.* Stricti enim Juris contractibus donatio annumeratur *l. 22. ff. de don.* qui non extenduntur ultra id, quod actum. Hic tamen effectus est donationis, quæ consistit in re aliena, quod in *l. 1. in pr. d. tit.* donator rem donatam etiam alienam avocare non possit: nam donator dat ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti. Cum itaque omnia bona donari posse sit dictum, non incommodè hic quæritur: An & hæreditas viventis donari possit? Quod Negatur per *l. 29. §. ult. ff. de don.* quia improbus iste Juliano audit, qui de viventis hæreditate sollicitus est. *l. 2. §. 2. ff. de vulg. & pup. subst.* eique ut indigno hæreditas semper auferitur *l. 30. ff. d. don.* nisi hæreditas sit vel personæ incertæ *l. 3. §. 2. ff. pro socio,* vel ille, de cujus hæreditate pactum fuit, consenserit in donationem hanc *l. ult. C. de pact.* & ita ex natura ejus quod actum est venit intellectus *l. 3. de reb. Cred. vide Clarum recept. diff. lib. 4. §. donatio, quæst. 19.* quo facit etiam *l. si unquam 8. C. de revoc. don.* in qua libertis patronus bona omnia donatione largitur. Nec turbet, quod si donatio omnium bonorum valeret, sequeretur hoc absurdum, hujusmodi donationem idem in effectu continere, quod testamentum atque hæredis institutio, cum hæres nil quicquam amplius habere videatur, quàm is, cui universa bona sunt donata: cui porro consequens foret, eadem adhiberi solennia in hac omnium bonorum donatione, quæ adhibentur in testamentis. *¶* idem in effectu continere, quod non est idem: in effectu convenire opposita, ut sunt jus scriptum & non scriptum. *in l. 32. in §. de L. L. quid inter est suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis.* vel idem effectus, potest habere diversas causas: alia est causa testamenti; alia omnium bonorum: quoniam donatarius

rius solum in commoda succedit, non etiam in incommoda hæreditaria, cujus obligatio est ex testamento. Vel simpliciter Resp. cum non sit hæreditas viventis l. 5. C. de pact. dot. perperam de ea interrogamus. Cui quæstioni Doctores addunt & hanc: An Donatarius teneatur donatorem omnibus bonis exutum alere? Quod quidam affirmant, uti Gomez. l. 2. var. resol. c. 4. n. 4. & Clarus l. sent. S. donatio. quæst. 21. n. 3. Nobis tamen, si jus fori respicimus, Negativa arridet per l. ult. verb. ex his tantummodo causis C. de revoc. don. l. 35. S. 2. ff. de mort. caus. don. Si verò jus poli consideramus, quod eo honestè donatarius faciat, non negamus: nam gratitudo omni semper laude ab omnibus digna habetur, quod hoc quoque demonstrat Emblemata.

Aerio insignis pietate Ciconia nido

Implumes pullos pignore grata fovet:

Taliag, expectat sibi munera mutua reddi

Auxilio hoc quoties mater egebit anus:

Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum

Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Ingratum donatarium qui metuit, non donat. Seneca 4. de ben. 10. turpissimum genus dandi est inconconsulta donatio, multoq; gravius malè dedisse beneficium, quam non recepisse.

III.

Subjectum constituunt personæ, qui & donare, & donationem recipere possunt. Donare verò potest omnis paterfamilias, cui libera est rerum suarum administratio: suæ etenim quisque rei moderator est & arbiter l. 12. C. de donat. in quâ progreditur Jctus à Patrefamilias ad omnem eum, cui libera est rerum suarum administratio, & concludit *portionem propriam rebus nondum divis. nemo prohibetur titulo donationis in alium transferre.* Excluduntur itaque hic primò omnes, quibus libera rerum suarum adempta est potestas, ut sunt furiosi prodigi, pupilli, minores, &c. secundò etiam omnes illi, qui potestatem habent res alienas administrandi, quales sunt procuratores, tutores, Curatores l. 1. de tut. & rat. Inter incapaces verò recipiendæ donationis referuntur Conjuges, de quorum donatione, quid de jure obtineat, in præsentiarum delineaturi sumus.

IV.

Hæc prohibitionis causa, ut donatio inter virum & uxorem non

non valeat, originem duxit ex consuetudine, quod patet ex *l. 1. ff. de don. inter Vir. & Ux. ubi Ulpianus lib. 32. ad Sabinum hæc recitat verba: Moribus apud nos receptum est, ne inter Virum & Uxorem donationes valerent, hoc autem receptum est, ne mutuato amore invicem spoliarentur donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate.* Moribus autem prohibitio hæc tribuitur, quia ab initio moribus introducta est: moribus tamen esse introductum, & esse Juris Civilis, sibi non opponuntur, quia mores sunt commune illud adminiculum, quo Jus Civile & Gent. utuntur. Ad hæc longè aliud est moribus esse receptum, quod commune est Juri Gentium & Juri Civili: aliud moribus apud nos esse receptum, *vid. l. 3. §. 1. h. t.* Postea oratione ad Senatum habita fuit confirmata *l. 3. h. t. l. cum hic 32. h. t.* & denique multis JCtorum responsis & Imperatoriis Constitutionibus explicata & illustrata, & tandem quoque apud Germanos approbata, sicut de Jure Saxonico docet *Carpzov. part. 2. const. 13. def. 14. num. 2.*

V.

Rationes verò, propter quas stante matrimonio prohibita hæc est inter Conjuges donatio, sunt variæ. & 1. quidem, quod amor Conjugalis solis animis æstimari debeat. *l. 3. de don. inter Vir. & Ux. 2.* ne præbeatur occasio adulteriis & divortiis, si non donet is qui possidet. 3. ne concordia maritalis precio conciliari videatur. 4. ne conjuges mutuo amore & affectione conjugali spolientur. *l. 1. l. 31. §. 7. d. t.* atq; idèd Antoninus donationes in focariis à militibus factas improbat, ne fictis adulationibus spolientur, *l. 2. C. d. t.* Maximam verò turpitudinem versari in eo, si concordia maritalis precio concilietur, exinde patet, quia per omissam à marito donationem uxor spe lucri facilè consentiret in alterius donantis voluntatem: mulieres enim muneribus maximè corrumpuntur, ut alienos admittant viros, qui ne ament nihil donantes & ex viris aliàs bonis cornuperentes faciant, haud difficulter eas persuadere possunt: quia mulieres sua natura tenaces, sicuti non facilè donant, ita ut avaræ ad accipiendum procliviores sunt, & sic publica morum ruina exinde oriri possit, atque consequenter matrimonia verè venalitia redderentur, ad hoc autem evitandum crimen hæc dona specialiter prohibita fuisse, Hospitalius quoq; in epistola ad Vidum Fabium testatur his versiculis.

Id

DE DONATIONIBUS CONJUGUM. 249

*Idcirco Leges Uxorem interq; maritum
Dona vetant, ne sit venalis gratia lecti
Deteriorq; bonis meliorem pellat a vitis.*

§. ne altero non donante discordia inter conjuges oriretur. 6. ne pars deterior locupletior, & pars liberalis pauperior fiat. *l. 3. d. t.* Vocatur verò pars accipiens hic deterior, quia plerumque evenire solet, ut munera accipiant deteriores, & emungant simplices, à quibus vel vi vel blanditiis facile dona extorqueri possunt. Has sex rationes idèd conjungimus, ne iis divisim consideratis, aut consideratâ unâ solâ prohibitio donationis inter Virum & Uxorem fiat infirmior. *Vid. th. 9. in fin.*

VI.

Cum interdictam esse inter Maritum & Uxorem donationem, dictum sit, eam quoque prohibitionem extendi ad omnes personas per patriam & dominicam potestatem marito & uxori junctas sciendum est, ita uti illis & his quoque facta donatio nulla sit, *l. 3. §. 2. & 3. ff. de don. int. Vir. & Ux. l. 4. C. d. t.* hoc modo non rectè donat focer nurui *d. l. 3. §. 2.* quia incidit res in idem vitium: focrus tamen nurui & nurus focruï donare non prohibetur, etiam constante matrimonio *l. 25. C. d. t.* quia maritus non agnoscit potestatem focrus uxoris suæ h. e. matris suæ: Hinc mater donare potest filio vel filiæ nuptæ, cum neutrum in potestate habeat: at id, quod filiæ donatum est, statim ipsa filia sibi acquirit, & non marito. *l. 19. C. d. t.* hæc vero lex non intelligenda est de donatione, quam mater filiæ communi fecit, quia illa donatio est prohibita, cum filia communis in potestate patria sit, & patri acquirat, sed de donatione facta filiæ suæ. Sic ratione potestatis dominicæ, uxor non potest donare servo mariti *l. 38. ff. d. t.* quia statim omne id quod donaretur acquireretur marito.

VII.

Ratio autem hujus prohibitionis non tantum consistit in potestate, sed etiam in jure & spe successionis, quæ quasi pendet ex jure illo patriæ potestatis, propter quod jus si admitteretur inter eas personas donatio, necessariò eveniret, ut minorem hæreditatem alter ex conjugibus aliquando acquireret, & consequenter fieret pauperior, in quo Majores maxime succurrisse donanti Pro-

culus ait, ne amore alterius alter despoliaretur *l. sed si vir. 31. §. quod legatarius 7. ff. de don. inter Vir. & Ux.* & sic ratione harum personarum patriæ potestati subjectarum consideratur potestas propter bona & succedendi in ea spem: nec obstat. *l. mortis sue 53. ff. eod.* per quam evincere solent, quod tantum potestas consideratur, & omnino non jus succedendi, hoc argumento: Si exhæredato filio, nec succedente, tamen donatio à locero facto nurui minime valet, sequitur, quod in donatione sufficiat considerare patriam potestatem sine jure successionis. Atqui prius est per *d. l. 53. ff. b. t.* Ergo & posterius. Verùm Respondetur, quod exhæredatio omnis fiat in testamento, quod pater ad extremum usque vitæ halitum mutare potest; In donationibus autem consideratur tempus præsens, quo tempore exhæredatio nullas habere potest vires, sed tùm demum si hæreditas ex testamento adeatur, *l. si quis posthumos. §. 2. ff. de lib. & posth. l. filium. ff. de bon. poss. contr. abb.* & manente etiam patre ejusdem voluntatis: multis tamen modis post mortem ejus & contra voluntatem suam rescindi posse exhæredationem, constat ex *Nov. ut cum 23. de Appellat. §. aliud quoq.* & exhæredatio certè non valet tempore donationis, sed post mortem demum Patris, quo tempore & patria est sublata potestas: de eâ itaque solâ non poterit dici, quod sit ratio supra dictæ prohibitionis, verum concurrat cum ea necessum est jus successionis in bona.

VIII.

Generaliter itaque ex adductis & adducendis rationibus atq; textibus hoc tenendum est, quod & inter ipsos Conjuges contrahentes, & personas eas, quæ ad contrahentes pertinent, & deniq; per quascunque interpositas personas donationes non procedant, *l. 5. §. 2. ff. de don. int. Vir. & Ux.* cum paria sint per se, aut per alium facere, e. g. si marito donaturus mandato mariti donaret uxori: fictione enim brevis manus ab ipso marito videtur facta, *l. 45. §. 4. de Avel O. H. l. 5. §. 2. de Fur. dot. l. 3. §. fin. ff. de don. int. Vir. & Ux.* Sic per *l. 20. C. d. t.* Maritus donationi de re sua uxori faciendæ per alium consentire non potest, quia cui non conceditur donare, ei nec conceditur consentire *l. 165. ff. de R. J.* Qui enim donanti rem suam consentit, ipse donare dicitur. Sic si marito dissimulante quid per alium in uxorem ejus per imaginariam

narium venditionem transferatur, nulla est venditio, cum sit simulata, simulatio verò hæc inducit donationem *d. l. 20. C. d. t.* donatio autem inter Conjuges est prohibita. Ergo & hæc simulata venditio, quæ non est vera venditio, sed magis remissio contractus venditionis, & sic in valida *l. si sponsus 5. S. 5. ff. de don. inter V. & U. Dn. Struve Exerc. 30. th. 25. Zoes. h. t.* Sic si maritus rem uxori vendat, & de precio aliquid remittat, remissio nulla est, *Gail. l. 2. obs. 9. num. 8. & seqq.*

IX.

Conjugibus ita interdicta sit donatio, non sponso & sponsæ, *l. 5. pr. l. 27. de don. inter Vir. & Ux. l. 15. C. de don. ante nupt.* Et in *d. l. 5. Modestinus lib. 7. Regularum scribit: Inter eos qui matrimonio coituri sunt, ante nuptis donatio facta Jure subsistit, etiamsi eod. die nuptiæ fuerint consecutæ. Quod moribus quoque receptum tradit Carpzov. part. 2. c. 13. d. 19.* & ita totum illud tempus, quod antecedit ipsas nuptias, non reddit inutilem donationem, quia ante nuptias non est Vir & Uxor, sed sponsus & sponsa. Nec obstat argumentum in contrarium adductum, quando dicunt: Eandem rationem, & quidem majorem prohibitionis versari circa sponsum & sponsam, quàm circa ipsum maritum & uxorem: quam rationem ferunt consistere in eo, quod alter alterum spoliaret ob nimium amorem & profusam liberalitatem. hanc verò præcipuè valere in ipsis sponsalibus, ubi amor est maximus & ardentissimus, juxta proverbium: Principium fervet, medium tepet, ultima frigent; & idè magis etiam de ipsis esset cavendum. Verùm Respondemus: Quod non solum libidinis causa interdicta sit hæc donatio, sed uti supra monitum, tam litium evitandarum, quàm damni partis donantis arcendi, & æstimationis ipsius amoris gratiæ, quæ non ex donis, verùm ipsis animis pendere debet &c. Ubi autem plures prohibitionis reperiuntur rationes, unica earum cessans reliquas non absorbet.

X.

Irrita autem sit donatio inter sponsum & sponsam ante nuptias facta, si effectus ejus collatus sit in tempus matrimonii. *l. 4. C. d. don. ant. Nupt. ex. gr. Titius promittit Sejæ 100 Imperiales, si eam duxerit: Quæritur an donatio hæc sit valida? & Respondetur quod non l. 97. S. 2. ff. de V. O. quia effectus donationis transfer-*

tur in ipsum tempus matrimonii, quo tempore tanquam inter maritum & uxorem simplex hæc donatio omnimodo est prohibita, non verò si donationis propter nuptias, vel dotis, vel sponsalitiij muneris causa facta sit, quæ valet, & constante quoque matrimonio rectè perficitur. Simplex enim tantum inter Virum & Uxorem prohibita est donatio, & omnes contractus, excepta donatione, permitti sunt inter Conjuges. Sic valet donatio ante nuptias facta, quæ confertur ultra tempus matrimonii, quia harum donationum eventus excurrit in tempus soluti matrimonii, quo non est prohibitum donare. *l. 9. §. fin. l. Vitricus. 60. §. 1. cum seqq. ff. de don. inter Vir. & Ux.* Sic quoque si sponsus sponsæ simpliciter donat, sed solutionem differt in tempus matrimonii, donatio valet, quia dilatio executionis non dirimit ipsam substantiam donationis, quæ inter sponsum & sponsam jam erat perfecta, & sicuti ad perfectum emptionis venditionis Contractum non requiritur ipsa rei traditio, ita neque ad perfectam donationem, sed ad ejus tantum consummationem, & donatio à sponso simplex & modum non excedens facta nullo casu revocari potest, *l. si tibi res proprias 11. C. de don. ante nupt. l. 1. in pr. & §. 1. ff. de don.*

XI.

Donationes verò factæ uxoribus putativis non valent. Putativæ nobis dicuntur, quas quis credidit se posse in uxorem ducere, quas tamen non potuit: Melior enim non debet esse conditio eorum, qui deliquerunt, *l. 3. §. 1. ff. de don. inter Vir. & Ux.* qua propter si erratum sit in qualitate conjugis, cum putet se quis donare veræ uxori, quæ talis non est, jura ei tribuunt conditionem ad donum revocandum, dummodo inscius fuerit impedimenti, *l. 7. C. h. t.* qui non deliquit: Aliter verò obtinet si donans conscius fuerit impedimenti, donasse enim hoc in casu videtur, nisi & accipiens quoque conscius fuerit; quo casu, quæ donata sunt, fiscus sibi adjudicat, & partem accipientem tanquam personam indignam re donatâ privat, *Dn. Lauterbach. h. t.* Si verò utraq; pars inscia fuit impedimenti, bona, quæ utrique constante hoc matrimonio putativo communiter obvenierunt, eo soluto in divisionem veniunt, *cap. 2. X. de don. inter Vir. & Ux.*

XII.

Pulchra hic movenda venit quæstio; An nimirum si maritus ignobilis

ignobilis Nobilem; de quo matrimonio Ovid in epistola de Janire ad Herculem:

*Quàm malè in aequales veniunt ad aratra juvenci,
 Tam premitur magno conjuge nupta minor.
 Non honor sed onus: species læsura ferentes:
 Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Aut senex puellam & juvenulam in uxorem ducat, eique in compensationem Nobilitatis vel senectutis aliquid donet, hæc donatio valeat? Et dicunt quamplurimi Doctorum quod sic, moti hac ratione, quia donatio hæc est compensandi animo facta & sic remuneratoria. Valere autem donationes remuneratorias inter Virum & Uxorem certum est, l. quod autem 7. §. si Vir & Uxor 2. ff. de don. inter Vir. & Ux. Hic non possum assequi Hunnium, qui vol. ad Treutl. 2. disp. 20. th. 4. quest. 25. probat hanc donationem, quod donatio, quæ naturam compensationis magis quàm remunerationis sapit, inter conjuges licita sit & concessa, quoniam compensatio ultro citroque debitorum, itemque debitorum solutio inter virum & uxorem nequaquam sit illicita, aut purè prohibita. Etenim hæc donatio naturam compensationis sapit 1. propter remunerationem. 2. quod nequaquam est illicitum eï nulla tribui potest prohibitio. 3. quod non est purè prohibitum, ejus partim est prohibitio, partim non est prohibitio, cum tamen hic nulla prohibitio locum habeat. Melius dixisset Hunnius, hanc donationem non esse purè concessam, ut admittatur distinctio temporis. Aliud est tempus, quo in ipso actu dotis constituendæ facta est donatio, ut sit in augmentum dotis. Aliud est tempus, quo post dotis constitutionem talis donatio fit, vel, ut priora tangam, aliud est tempus, quo constante matrimonio donatio fit: tum puellæ Nobiles nobilitatis suæ precio omnia mariti emant: tum etiam si sint ignobiles, si sint juniores, silicernia sua, in quibus virtus genitalis senili marulismo emasculata est, nato defleant, quò volupe est, ne videatur defecisse maritus, qui jam deficit, & in pecunia suppleat, quod pecunia non supplet. Huic illustrando facit exemplum D. Hieronymi in epistola ad Procopiam Virginem, sive in Epithaphio Marcellæ: Cerealem quendam virum senem, cum Marcellam virginem ambitiosè peteret nuptiis sibi

collocari, suasque ei divitias ostentaret, adjiceretque, se eas tanquam filiaë, non tanquam uxori donaturum; idemque mater virgini suaderet, ut in nuptias consentire vellet, eum hoc responsum à Marcellâ tulisse: Si vellem nubere, utique maritum quærerem, non hæreditatem. Cereale autem rursus instante & dicente, posse & senes diu vivere, & juvenes citò mori: tunc illa, juvenis potest quidem citò mori, sed senex diu vivere non potest. Exhibuit hæc suo exemplo non secum habitare avaritiam, quæ cum omnibus propemodum habitat, juxta Guicciardini verba *può hoggi communemente piú la forza del oro, che il rispetto dell honestà & omnem virtutem, amorem, honestatemque divitiis postponit, & crescit illa furiosa habendi cupido crescentibus opibus de die in diem*, juxta Ovid.

Plures opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis,

Dum populus pauper, dum Nova Roma fuit.

At postquam fortuna loci caput extulit hujus,

Et tetigit summo vertice Roma Deos:

Creverunt & opes, & opum furiosa cupido:

Et cum possideant plurima, pluram petunt:

Querere ut absument, absumpta requirere certant,

Atq. ipsæ vitis sunt alimenta vices.

Sic quibus intumuit suffusus à venter ab undâ

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aqua.

In precio precium non est, dat cens. honores

Census amicitias, pauper ubiq. jacet.

XIII.

Rationem donationis licitæ in compensationem Nobilitatis desumunt, ex participatione utriusque fortunæ, domicilii, familiariaë, dignitatis & fori, cujus est maritus Quippe uxor à marito mutuatur honorem genus, forum & domicilium, l. ff. de Senat. l. pen. pr. ff. de Jurisd. l. ult. §. 3. ff. ad Municip. l. 4. ff. de usu & hab. l. 1. C. de in jus voc. Nov. 22. c. 36. Nov. 105. c. 2. in pr. Sic Virginia cum esset patricia per nuptias facta est plebea. In compensationem verò senectutis, quod illa tanquam debilis & variis morbi affe-
ctibus & calamitatibus obnoxia à puella juveni sublevetur, ma-

rimonium tale ætate profectiores oblectet, & à multis eosdem liberet (aut potius dixerim multis cumulet, præsertim uti sapius evenire solet, si mulier cum mala herba & quidem cornifera ista quandam cognationem habet; de qua Juvenalis sat. 6.

Semper habet lites alternat jurgia lectus

In quo nupta jacet, nimum dormitur in illo,

Tunc gravis illa viro, tunc omni tygride peior,

Cum simulat gemitus occulti conscia facti

Aut odit pueros, aut fiet a pellice plorat

Uberibus semper lachrimis, semperque paratis

In statione sua.

Nil non permittit mulier sibi turpe putat nil,

Cum virides gemmas collo circumdidit, & cum

Auribus extensis, magnos commisit Elenchos.

curis, ita ut sine speculo scire liceat, utrum latus barbæ, quod ad orientem spectat, rectè conveniat cum eo, quod in occidentem tendit: neq; sollicitū esse oporteat, ne pallium ab interiori habitu tanquā in civili bello dissideat, aut æquo sit prolixius, nam de his omnibus liberat eum uxor juvenca: Huic accedit ratio pulchritudinis atque virginitatis, quæ à Poëtis variè describuntur: est enim hæc illis ipsa Minerva Amorum Dea, oculos clariores stellis extra lunam fulgentibus, cervicem, manus marmori similes habens &c. Est juxta Cyrillum, contra proverbium illud Gallicum. *La virginitè est une tres-belle chose en paroles, & tres-laide en ses effects*: Verum naturæ & virtutis germen preciosissimum, flos amœnissimus, & splendor clarissimus, fructus dulcissimus. &c, sic Ovvenus

Virginitas animi murus victoria carnis,

Pectus honestatis, sancta pudicitia est.

Laudent qui velint foeminei sexus elegantiam, mihi quanquam corporis pulchritudo placeat, animi tamen dona præfero.

XIV.

Quid verò juris, si hoc filicernium puellæ donavit, quam credidit virginem, an res donata idè avocatur, cum virgo talis non sit? Neg. quod ejus non interfit, aliquam esse virginem vel non; interfit aliquantulum ejus, uti interest cur meæ gallinæ alienos pullos quodammodo excludere & pro suis habere debent. Sequatur

quatur consilium Weſembecii ad tit. de. R. N. num. 7. cui caput eſt, ut quiſque in animum inducat, à Deo conjugium ordinari, eoq; illud ſecundari ſolo, ardentibus votis poſtulet, ac eidem fideli Patri & Domino eventus, qualeſcunq; ſint, commendet: qui quidem ſi non omnes ad voluntatem fluunt, patienter, quod à Deo impoſitum eſt, in hoc ærumnoſo & brevi vitæ curriculo perpetendum ferendumq; ſciat. Metuat irriſionem calvi, qui erat luberoſiſſimæ frontis, in quem libr. 5. epigr. 1. Martialis:

*Vidiſſem modo cum ſedentem
Solum te, Labiene, tres putavi.
Calva me numeruſ tua ſefellit.
Sunt illinc tibi ſunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere poſſint.
Nudum eſt in medio caput, nec ullus
In longa piluſ area notatur.
Militat in teneris annis amor hoſpes amanuſ,
Eſt in canitie ridiculoſa Venus.*

Aut metuat ſui ipſius derivationem: Senex dicitur quaſi femi-
nex, i. e. femimortuus, quod maiore ſuæ ætatis parte tranſactâ
morti finitimus ſit. Aut ſe ipſum in ſuo ſenio jaçter, ut ille, de quo
Quintilianuſ declam. 4. v. 12. *Infirmuſ proſuſ terrenaq; mentis eſt, ut
numeretis annos: ego (qua feliciffima vel laſitudo vel ſatietas eſt) virtute
conſenui. Quid adhuc inter accidentia fragilesq; caſuſ ago? Homo receptuſ in
publicaſ gratulationeſ, præſentia humilitate decreſco. Minoreſ ſiant neceſſe
diuturnitate, quorum initia confirmavere ſucceſſuſ: cum jam nec operibuſ nec
felicitati poſſu accedere.* Aut ſibi placeat garrulâ verboſitate, quâ ſui
reverentiam minus intelligentibuſ perſuadet. Aut deniq; é Vellejo
Paterculo 2. 24. fiat Liviuſ Drufuſ, qui, cum ultimum redde-
ret Spiritum, intuens circumſtantium mærentiumq; frequentiam,
effudit vocem convenientiſſimam conſcientiæ ſuæ: *Ecquando,
inquit, propinqui, amiciq; ſimilem mei civem habebit Reſp.* Aut fiat é Valerio
M. lib. 5. c. 1. Alexander, qui non hominum ulli, ſed natura fortunæq; cedens,
quanquam violentiâ morbi dilabebatur, in cubitum tamen erectuſ, dextram
omnibuſ, qui eam contingere vellent, porrexit. *Quis autem illam oſculari non
cuperet, qua jam fato oppreſſa maximi exercituſ complexui humanitate, quam
ſpiritu vividiore ſuffecit.*

Concubinæ quoq; licitum est donare. *l. donationes 31. ff. de don. quia licet donatio sit inhonesta, est tamen affectionis, l. affectionis 5. d. t. l. qui concubinam 29. in pr. l. uxorem 41. §. concubinæ 5. de leg. 3* Quia rationes illæ propter quas donatio inter conjuges est prohibita, in concubina locum non inveniunt: & quanquam pro concubinatû ratio amoris & affectionis nimia videretur militare, quæ primo loco ab Ulpiano in *l. 1. ff. de don. inter Vir. & Ux.* collocata est, non tamen tantus est virorum affectus erga concubinas, quantus erga justas uxores, quapropter favor conjugalis refrenandus Legibus fuit, ut ait *l. ult. C. de legit. hered.* hinc dignitate quoque concubinam ab uxore differre scribit Ulpianus in *l. item legato 49. §. 4. ff. de leg. 3.* & quanquam in *l. cum tabulis 16. §. 1. ff. de his qua ut indign.* pleno honore concubinam diligi posse constat, non tamen maritali, sed concubinario; aut cum aliis: non est plenus honor, sed plenus amor. Causa verò differentia hujus inter uxorem & concubinam optimè desumi potest ex statu liberorum, qui solis ex nuptiis justî procreantur. Huic autem rei diutiùs ut inhæreamus, ociosum esse videtur, cum hodie concubinitus non amplius sit licitus: Wissenb. *disp. 47. th. 3.* Quod aliter obrinuit de jure Civili *l. 1. ff. de concub. l. 2. C. de don. int. Vir. & Ux.* non obstat, *tototitulo C. de nat. lib.* Aliud enim est concubinatum esse sublatum; aliud verò concubinatum suas habere pœnas: nam & Jure Civili intra terminos suos restrictus erat. Jus Canonicum convenit in hoc cum Jure hodierno *c. nemo 32. quest. 4.* non obstat. *c. inter opera. X. de sponsal. & Matrim.* ubi lupanarium ingressus permittitur; verùm non nudè, sed majoris mali evitandi gratia, uti quidam excusant, & non est vera permissio, sed magis illius actus excusatio quædam: cum inter duo mala minus semper sit eligendum, *l. 200. d. R. J.* Et hoc in loco non assequor rationem *C. inter opera. X. de spons. & matrim.* quo statuitur, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extra xerint & duxerint in uxores, quod agunt, proficiat ipsis in remissionem peccatorum: nam si hac ratione peccata remitterentur, nonnulli meretricem ducerent; imò quædam filia lupanaria ingrederetur ex metu, ne præterirentur, vnd vnter das alte Eysen möchten gerahen/præsertim eo tempore, quo 7. Virgines juxta vaticinium certabunt de unius viri caligis.

In meretrices collata donatio sustinetur l. 5. ff. de don. l. idem 4. S. sed quod meretrici pen. ff. de Condict. ob turp. caus. Meretrix enim à merendo dicitur, & corpus meretricis tanquam res venalis & merx æstimari debet, de cujus rei veritate Italia, aliaque regna testes: ut & vetustissimum illud Judæ exemplum, Gen. 38. ubi cum hircum mercedem Thamaræ promissum misisset, eaque in loco illo, in quo compressa fuerat, non esset reperta, tum Judas: nemo poterit, inquit, de nobis malè loqui, vel inhonestè, quasi promissum non servavissimus: unde & olim corpora meretricum mercede non tantum æstimata, sed etiam promissa de mercede facta servanda fuissent colligitur: nam meretrix turpiter quidem facit, quod sit meretrix; non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix l. 4. S. 3. ff. de condict. ob. turp. caus. Meretricum verò vilitas est notissima. Sic hujusmodi apud Erasmi. in colloquiis adolescentis & scorti, quæ quam multos habet amicos, seque omnibus libidinibus prostermit, matula vocatur. Et exemplo potest esse infame illud scortum Quartilla apud Petronium, quæ puellæ, ut muliebris patientiæ legem acciperet, hoc innuit: *Nam & infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis majoribus pueris me applicui, donec ad hanc ætatem perveni.* Verum sit hoc exemplum inhonestæ vitæ; non est exemplum inhonestæ donationis, quæ celebrata fuerit inter Quartillam & alium. Ob oculos sibi ponat talis donator Senecam 2. de benef. 9. & 10. Donanda sunt palàm, quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona & honores, & quicquid aliud notitia pulchrius sit. *Quæ non producant, nec honestiorem faciunt, sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominie, tacite danda sunt.*

XVII.

Jure Canonico meretricibus donare non est permissum, quia qui meretrici donat, non attendit naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani, c. qui venatoribus 8. dist. 26. neque Ecclesia Romana (quanquam permittat ad evitacionem majorum malorum) lupanaria approbat, neque jus nostrum Justinianicum, sed illa omnino prohibet & aufert, juxta Magnificum Dn. Brandmyllerum, Patronum atque Præceptorem meum omni ætate colendum, in *Manuductione ad Jur. Canon & Civ. differ. Lupanaria Ecclesia.* Cujus de nefando hoc lupanarii scandalo hæc sunt verba;

ba: qui lupanaria sunt ingressi, fatebuntur se reperisse vulpeculas, quæ capistrum sapientibus injiciant, initia amoris magno opere mirentur. Quam conniveant, jam abnuant, iterum alia simulent, ut potentiori hiatu se marsupium explicet. Si manus, quam materna fortè indulgentia unxit, verecundetur, patrem verecundiam induunt: & donec hominem totum exenterent, festivi doli consilia captant. Si imprudentiam Amasii fingere nitantur, nondum expugnati, ultimâ libidine nondum cœcutientes; paulùm & ille meditantur, & quasi despiciatui obnoxie auriculam vellicant, è medio in angulum abducunt: tandem liberiori prius collo laqueum parant. Ita qui suo unius consilio evasisent, alieno succumbunt. Qui lupanaria quæsierunt, clandestinos lupanarium aditus damnant, abominantur: dum cogitant exilium, inducias paciscuntur: dum redire nolunt, se emanere posse pernegant. Reduces facti quam primum vernam suam in limine offendunt, eidem, quot caloribus fuerint elegantes, quot nunc frigorebus algeant, narrant: supparum vix superesse, quo latus, scortilli petulantia fatigatum, tegant. Nullum esse ingenium, quod has versutias declinet: imò non esse, quod eventus harum intelligat. Suffarcinatum fuerit ante hanc militiam variis eduliis corpus: nunc stomacho esuriales esse serias: deesse obolum, quo viriculas resumat. Qui mundo ludibrium, membris tremorem, sanitati querelam, anima interitum debere vult, lupanaria secleretur. Brevi lingua hærebit: è vultu rubor emicabit: quid porro sit agendum vacillanti ægrè constabit. Studiosus cui pax studii fuisset tranquillior desperata meta

Ad Cannas Mithridaticumq; bellum

è fumanti latibulo turbulentus contendet. Quò pauci contendant, voluptas sprete impediatur. P. de Lancre appellat mulieres ipsis inhabitantes: le paradis des yeux, l'enfer des ames, le purgatoire des bources, & le limbe de mauvaises pensées. Quem Hispanus sequitur dicens. O Muges, ô Muges! Parayso de ojos, infierno de animas, purgatorio del bolsas.

XVIII.

Valet inter conjuges mortis causa donatio: cum in illud tempus conferatur, quo Conjuges esse definunt: Non obft. l. 53. ff. de don. inter Vir. & Ux. quam Didacus Covarruvias adducit: ubi dicitur frustra socerum donare genero vel nurui, hinc enim malè colligit: Quod si donatio mortis causa nurui à focero facta non valet propterea, quod is maritum habet in potestate, idè multo minus valere donationem mortis causa, si ab ipso marito facta sit uxori. Diversa enim est ratio soceri & mariti mortis causa donantis: Maritus siquidem donare potest uxori mortis causa, quia

hæc donatio effectum sumit, & in id tempus differtur, quo matrimonium morte mariti fuerit dissolutum: at donationis à socio facta conditio existit matrimonio adhuc constante: cum sc. morte socii conjugium non dissolvatur. Nec in contrarium movet ratio à quibusdam adducta, qui dicunt: quod modus hic donandi sit in fraudem Legis, & mortis mentio in eo tantum fiat, ut Conjuges rectè quasi ludere, sibi que constante matrimonio donare invicem queant, & consequenter maritalem concordiam venalem habeant, seque mutuo spolient, contra *l. 1. l. 2. l. 3. & passim de don. inter Vir & Ux.* Respondetur enim ex ipsa definitione mortis causa donationis, quæ est talis, qua mortalitatis cogitatione moti in eventum mortis nostræ rem in alium consentientem conferimus: eo ipso verò, dum donatio differtur in eventum mortis nostræ, eam non ita esse perfectam ante mortem, ut non possit revocari, constat, *l. 2. l. mortis. 16. l. qui mortis. 30. ff. de mort. caus. don.* & res donata manet donatoris, donec mors ejus sequatur, *l. sed interim. 11. ff. de don. inter Vir. & Ux.* Semper enim hoc modo quis donat, ut se potius rem habere velit, quàm donatarium, donatarium verò potius, quàm hæredem, & ut ante mortem sit imperfecta, *S. 1. Inst. de don. l. 1. l. 32. S. 2. ff. de mort. caus. don.* quamvis in *l. 2. d. t.* dicatur: quod etiam fieri possit hoc modo, ut statim dominium transferatur & transeat in donatarium *l. 39. d. t.* eo tamen non obstante, donatio ante mortem non est perfecta: dominium enim nondum irrevocabiliter translatum est, sed multis modis, convalescentiâ, pœnitentiâ, metu periculi sublato revocari potest. Qui autem aliquid ita adeptus est, ut retinere non possit, id consecutus non videtur. *l. 22. de A. & A. P.* Cum itaque juris cesset ratio, quæ in simplici donatione obtinet, & hæc donatio non ad finem perducatur constante matrimonio, sed eo demum tempore, quo morte finita est conjunctio matrimonialis, ideoque etiam cessabit juris dispositio, *l. 9. S. f. de mort. caus. don.* non obstat, *l. si alienam. 13. l. senatus. S. mortis. ff. d. t.* quia in hisce textibus expressa de non revocando conventio adjecta est: alias enim pœnitentia revocari semper potest mortis causa donatio, *l. 30. ff. de mort. caus. don.* in quo differt à legato: nemo enim sibi hanc legem dicere potest, ne legatum revocet, ne pœnitere possit, *l. Si quis in principio testamenti 22. ff. de leg. 3. l. Divi. S. licet. ff. de Jure Codicill.*

Ut verò donatio talis inter Virum & Uxorem valeat, non sufficit ut aliquid in mortis casum sit donatum, sed requiritur ut ipsa hujus donationis causa in mortem donatoris sit collata, *l. 27. de mort. caus. don.* e. g. si quis hunc in modum donaverit: Titius Seje uxori meae fundum Tusculanum dono, quem hæres meus ipsi post mortem meam tradere debet; hoc in casu mortis fit mentio, & in mortem aliquid confertur, & tamen hæc est donatio inter vivos, quia non ipsa donatio, sed tantum ejus exercitium in mortem confertur, ideòque quia hæc donatio ante mortem est perfecta, ante mortem revocari non potest. Lud. Molin. de J. & J. D. 287. n. 16. & 17. Perez. in C. h. t. n. 1. Vinn. ad S. 1. Inst. h. t. Unde etiam JCrus in *l. 27. de mort. caus. don.* de simili casu ita loquitur: & quamvis dictum sit, quod donare velit, cum morietur, eo tamen non tam ad donationis perfectionem, quam solutionem respexisse videtur, *arg. l. fin. C. quæ res pign. nec obft. l. 13. in fin. l. 35. §. 4. de mort. caus. don.* ubi hæc donatio dicitur mortis causa donatio: Ad quas leges Bachov. respondet: non esse mortis causa donationem secundum esse, sed secundum dici: i. e. quoad externam verborum formam & conceptionem. Vel distinguere potest inter donationem similem & dissimilem: quæ distinctio cum sit obscurior, distingue inter mortis adjectionem, quæ in se habet vel conditionem, vel demonstrationem. Si conditionem, fit donatio mortis causa. Si demonstrationem, non est mortis causa donatio. Vel mors est initium donationis, vel est ejus continuatio. Priori casu est mortis causa donatio: Posteriori est donatio inter vivos, quam mors superveniens non revocat. Vel distingue, an mortis mentio fiat in modum causæ finalis, an in modum dilationis. Priori casu est mortis causa donatio. Posteriori est causa donandi magis, quam mortis causa donatio. Hanc ultimam distinctionem subministrat Molina *d. num. 16.* Aliam subministrat Gomezius 2. tom. var. resol. c. 4. n. 22. Covarruvias in rubr. de testib. p. 2. n. 13. & 14. Promissionem non revocandi eam donationem, quæ in se spectata aperte donationem mortis causa sonat, posse adjungi vel in ea parte instrumenti, in qua fit donatio ipsa h. e. in verbis instrumenti dispositivis, in quibus substantia contractus continetur, vel postea in parte instrumenti, in

qua executio & confirmatio contractus continetur. Quod si in parte priori instrumenti apponatur, dicunt transire in donationem inter vivos. Si verò apponatur in posteriori, censent non transire in donationem inter vivos, sed manere donationem causâ mortis, perindeque promissionem illam esse reputandam, ac si adjecta non esset. Tum quia, quæ in executione apponuntur, dispositionem non augent, ut habetur in *Clem. 1. de præbend.* Tum vel maxime, quoniam credendum est ejusmodi verba potius ex tabellionum voluntate ac consuetudine, quàm ex contrahentium beneplacito ac consensu fuisse apposita: quippe arbitrandum non sit, illos in executione advesari voluisse dispositioni. Quam ultimam responsionem eatenus probamus, quatenus non constat prædictam clausulam in executione è mente donantis fuisse positam.

XX.

Ad primum requisitum accedit & hoc, ut præcisè donatio in mortem donatoris conferatur, nec sufficit si in tertii mortem differatur, Paul. de Castr. ad *l. 18. pr. num. 2. h. t.* Nam mortis causâ donatio perficitur demum, ut omnis alia ultima voluntas, postquam quis aliud velle non potest, *l. 1. C. d. ss. eccl.* Donatio verò in mortem tertii collata etiam ante plenè perfici & irrevocabilis fieri potest, quò casu contra naturam hujus donationis donatarius potius haberet, quàm donator, *l. 1. l. 35. §. 2. ff. de mort. caus. don. §. 1. Inst. de don. non obit. l. 11. ff. l. 3. C. d. t.* quibus Bachovius in contrarium movetur, quod in illis non sit propriè dicta mortis causâ donatio, sed potius mortis capio per *l. 18. d. t.* Nam de essentiâ, uti modo dictû, hujus mortis causâ donationis est, ut ipse donator se magis velit habere quàm donarium, *l. 1. h. t.* quod non obtinet, si donationem in mortem alienam contulerit, eo in casu enim si ante donatorem tertius decederet, tunc donatarius rem haberet & non donator, quod tamen expressè est contra substantiam mortis causâ donationis, *d. l. 1. l. 35. d. t. §. 1. Inst. de don.* Hæc autem requisita non præsumuntur: unde si de formâ mortis causâ donationis ex ipsis verbis dispositivis non constet, in dubio donatio inter vivos facta censetur.

XXI.

Huc quoque pertinet donatio inter conjuges in casum secuti divor-

divortii facta, ad quam hæc prohibitio non spectat, l. 60. §. de don. inter Vir. & Ux. Willenbach. diff. 47. th. 4. Zoëf. hoc tit. num. 10. ut verò subsistat hæc donatio duæ notandæ sunt conditiones. Prima est, si divortium bonâ gratiâ fiat, l. vitricus 60. in §. ff. d. t. Altera, si sub ipso divortii tempore fiat donatio, si enim tempus illud multò antecedit, & ex cogitatione divortii futuri fiat, nullius valoris erit, l. quæ tamen 12. ff. eod. incitamen enim esset & invitatio ad delinquendum & divertendum, quatenus pars donationem præfuturi divortii accipiens facile ad illam subtrahendam invitaretur, cupiditate illam sibi citò habendi, & ageret ita adversus donantem infenso semper animo: unde inimici dicuntur, qui divertunt, l. Cicero 39. ff. de pæn. adque conjugium dissolvendum studiosa malitia rectè semper contenderet: ad hoc itaque evitandum delictum donatio hæc ut fiat sub ipsum tempus divortii necessum est, quo tempore suspiciones & fraudes omnes cedunt: intelligitur etenim fieri hæc donatio jam soluto matrimonio, ubi maritus & uxor esse desinunt.

XXII.

Ad divortium verò illud, quod olim bonâ gratiâ fiebat, quævis levis sufficiebat causa, postea verò gravior requirebatur, ut erat sterilitas, l. 60. in §. ff. de don. inter Vir. & Ux. vide Val. Max. lib. 2. c. 1. 4. Gell. lib. 3. cap. ult. Senec. 2. contr. 5. quos allegat Gothofr. lit. g. denique gravissima causa requirebatur, qualis non erat causa senectus, Nov. 117. c. 12. in fin. Non valerudo, nisi talis fuerit, de qua in l. 10. C. de repud. Nov. 22. cap. 6. Monet Gothofredus ad l. 62. ff. d. t. Matrimonium, quod olim bonâ gratiâ dirimebatur, uticunque fuerit abrogatum, Nov. 117. cap. 10. esse revocatum per Nov. 140. præf. promptius enim olim erat divortium quod bonâ gratiâ fiebat, ubi nulla inquisitio causarum antecedeat. In Nov. autem 140. proponuntur atroces & irreconciliabiles inimicitiae, ob quas belligeratum domi pugnatumque sit, ita, ut ii, qui violento affectu odioque semel correpti sunt, reconciliari nequeant. Magnificus Dn. Brandmyllerus Fautor meus summo opere colendus in *Manu duct. ad Jus Can. & Civ. differ. Matrimonium est omnino individuum*. Sicuti verò Jus Civile in divortiiis nimis facile atque favorabile: ita jus Canonicum eò crudelius est & atrocius, quod omninò (licet matrimonialem consuetudinem dividuam esse velit)

velit) divortium non admittit: nisi divortium in latiori significato accipere velis, quod juxta *c. usque aded* 32. *quæst.* 7. est, quod non dirimit matrimonium, sed tantum inducit quandam separationem inter virum & uxorem, impedientem, quo minus sibi invicem cohabitent: ita ut de Jure Can. contra Jus Civile non liceat dirempto matrimonio alias contrahere nuptias, propter cuius nimium rigorem ante allegatus Magnificus Dn. Brandmyll. in *differ. divortii allegatio*, hæc Rittershusii verba recenset, dicentis: *Durissima est conditio & valde iniquum, ut propter nocentis culpam sic plecteretur etiam innocens, & cogatur vel redire in gratiam cum adulterante, vel perpetuò celibem vitam ducere.* Vide Rittershus. in *Novellas part.* 4. *c. 8. n. 1.*

XXIII.

Cum verò prohibitio hæc tantum pertineat ad donationes simplices, quibus donator pauperior, donatarius autem locupletior fit; excluduntur variæ donationum species: inter quas primum obtinet locum donatio reciproca, per *l. quod autem.* 7. *S. 2. ff. de don. inter Vir. & Ux.* de quâ an per se subsistat, an confirmatione indigeat, an omnino nulla sit? maximè inter Doctores controversitur. Quod per se subsistat confirmat Tiraq. in *l. si unquam verb. donatione. num. 94. C. de revoc. don.* Lauterbach. *ad hunc tit. per l. 7. S. 2. d. t.* Confirmatione indigere probant ex *l. cum hic status. S. si ambo. ff. d. t.* ubi confirmari eam ex Scto Æmiliano posse, ut invalidas cæteras ipsi videtur. Omnino verò nullam esse asserit Jason in *l. stipulatione. 41. Wesemb. ad h. t. n. 3. Wissenb. disp. 46. th. 8.* & plures alii ab ipso citati authores: Ad hunc autem Doctorum dissensum conciliandû decisioné desumimus ex Dn. Brandmyll. J Cti famigeratissimi *Manuductione ad Jus Can. & Civ. differ. donationes inter Vir. & Ux.* dicente: Utraque potest consistere sententia: Si attendatur an interveniat æqualitas vel inæqualitas, quod ex re seu tempore deprehenditur, *d. l. 7. S. 2. b. t.* præsertim cum neuter fiat pauperior, nec donationes esse tales videntur, cum quis tantundem accipit, quantum dedit, quamvis in tempore commodum aliquod versetur, *l. 11. ff. de don.* & ita diversis temporibus fieri donationes ejusmodi consentaneum est, nam si simul fierent, neuter quicquam cepisse videretur, neutri quicquâ donatum esse, sed simulatio potius & lusus, *l. 17. ff. de V. S. l. sicut S. supervacuum. ff. quibus mod. pignus vel hypoth. solv.* Valent itaque donationes mutue

tuæ æquales : inæquales verò non : nam quatenus sunt inæquales, eatenus pares & mutuæ non sunt, ne compensatio in plus sit, quàm utrinque donatum est, aut debetur : dictum verò est, ut ex re vel tempore inæqualitas patere debeat, per quod excluditur simulatio reciprocae donationis, ut simulavit leo apud Æsopum contrahens societatem, quam simulationem detexit asini calamitas : Non si fingat liberalitatem ut locupletior fiat, à qua vix maritus quicquam consequitur : Sunt enim uxores quæ citius ex ore sibi dentem excuti, quàm ex oculis unum erogari nummum patientur. Promittat,

— — *credula vitam.*

Spes fovet, & melius cras fore, semper ait.

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratri

Semina, quæ magno favore reddat ager.

Spes alat agricolas : Non tantum agricolis sunt uxores : alii in uxoribus tenacitatem prudentius notant.

XXIV.

Ex hoc Doctores probant remuneratoriam donationem inter conjuges valere ; quatenus merita non communia vel obsequialia, sed singularia & quasi supererogationis proportionaliter æqualia donationi sunt. Card. Mantica *lib. 21. tit. 4. num. 8. & seqq.* Sanchez. *disp. 6. num. 4.* Mynsing. *c. 2. obs. 33.* Gail. *lib. 2. obs. 42. num. 7.* Struve *Exerc. 30. num. 29.* Zoef. *num. 16.* Laudant enim LL. Romanæ eum qui gratus est & benefacit ei, à quo beneficium accepit. Sic Alexander Magnus prædicare solebat, à nemine se unquam benignitate fuisse exuperatum, Cælius *lib. 7. cap. 28. Antiq. lect.* Qui etiam captis Thebis hospites Patris sui Philippi, apud quos ille obses adhuc puer egerat, eorumque cognatos incolumes servavit, reliquis captis aut trucidatis. Hinc à Plinio & Livio laus Romuli & Remi, qui ad Tiberim expositi, cum à lupâ juxta historiam victum accepissent, ejus beneficii memores lupæ simulachrum Romæ posuerunt. Non tamen continuò sequitur, ut ingrati lege teneatur, qui acceptum beneficium nondum pensaverit, alioquin nemo est, qui non possit in calumniæ genus incidere. Nam ut hujusmodi omittam tempora, statim certè ut accepit beneficium, accusari potest ; nondum enim reddidit. Quod

si non continuò ingratus est, quia paria non fecit, superest, ut illa nobis intuenda sint, an omnia præstari iis, qui beneficium dederint, oporteat: An id, de quo cognoscitis, præstari oportuerit: Ac postremò an potuerit. Non omnia esse præstanda vult *Quintilianus declam. 333.* etiam parentibus: alioquin nihil est periculosius acceptis beneficiis, si in omnem nos alligant servitutem: nam etiam scelerum, si ita videatur his, qui nos meritis obligaverunt, afferunt necessitatem. Differunt hæc duæ donationes, nimirum mutua, de quâ *th.* præcedente actum, & hæc reciproca, ut genus & species. Omnis enim mutua donatio est remuneratoria: sed non quicquid remunerandi causâ donatur semper alicujus donationis causâ fit, possunt enim, & frequentissimè quidem solent ob varia merita, virtutes & honorificas actiones, donationes ejusmodi fieri, in quibus nullam antecessisse donationem clarissimè videri potest. Est autem mutua donatio, cum ille qui donat, aut donum jam accepit, aut modò accipit. Semper ut mutua vel reciproca donatio quædam vocari *Jure meritoque* possit, donum ut ante cedat necessum est: alias non possit dici juxta sæpe allegatam *l. 7. §. 2. Compenfatio.*

XXV.

Colligitur exinde ejusmodi tenoris esse donationes, quæ sunt ad consequendas dignitates, ut *Doctorem, Equestrum, &c.* Quia maritus non fit locupletior, ipsa verò uxor dignitatis fit particeps, *l. 40. 41. 42. ff. de don. inter Vir. & Ux.* ubi *Cujacius lib. 11.* ad *Edictum provinciale* ait. Nuper ex indulgentia Principis *Antonini* recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa: ut ecce si *Uxor Viro Laticlavii* sive *Senatoriæ dignitatis* petendi gratia donet, vel ut *Equestris Ordinis* fiat: Hinc in rem præsentem *Imppp. Valentinian. Theod. & Arcad. AAA in l. 13. C. de dignit. Martiano, Comiti Orientis.* *Mulieres jure maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum personâ statuimus, & domicilia mutamus, ubi lit. 1.* notat *Dion. Gothofr. Nobilis est natus patre nobili, matre plebeia, quia mater per nuptias Nobilitatem adipiscitur. Contra nati patre plebeio, matre nobili plebeji sunt: nam & ipsa per nuptias facta est plebeja, l. 1. C. d. t. de dignit. l. 8. de Senat.* Ut *Virgimia*, cum esset *Patricia*, per nuptias facta est plebeja, *Liv. lib. 10.* idque congruit cum antiquâ *Juris definitione*, ut *connubio interveniente liberi*

liberi sequantur patrem semper, *l. cum legitime. 19. de stat. hom.*
 Apud quasdam Gentes liberi melioris partis conditionem sequuntur. Ex his fit manifestum: Locupletiore non fieri donatarium, quia in sumptus dignitatis acquirendæ hæc donatio fit & impenditur, & ita tam in sui ipsius, quàm donatarii honorem hæc talis à parte donante facta est: Huc facit Alber. Gentilis, qui *lib. 2. cap. 4.* scribit: Quod nullam ad aliam rem libentiùs, & honestiùs mulier impensas faciat, notumque sit, quàm mulieres ambitiosæ semper esse soleant. Hujusque rei illustre exemplum extare dicit apud Livium de Æmulis duabus sororibus, unâ patricio alterâ plebeio nuptis: & recentius apud Collenutium Jctum & Histor. Neapol. gravissimum scriptorem, *lib. 4.* ubi refert: Beatricem Caroli Andionini & Comitissæ Provinciæ Narbonensis Conjugem, ut Maritum ad Regnum Neapolitanum ab Urbano ei delatum, capeffendum impelleret & adjuvaret, omnes suas gemmas & preciosa ornamenta oppignoravisse: Quod Regis tituli cupida ferre non posset, se comitissam tantùm esse, cum tres suas sorores Reginas videret. Ferocia uxorum militantium quid aliud quam ambitionem spirat? Spirabant in Taciti *Germania*, fæminæ Germanorum, affluetæ aciebus & pugnis, in quas viros patrio more comitabantur. Etiam victæ, cum ambire non licet, rabie & desperatione armantur. Vide *Florum lib. 3. cap. 3.* Ubi uxores objectis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper quasi è turribus, lanceis pugnabant. Perinde speciosa mors earum fuit, quàm pugna. Nam missâ ad Marium legatione libertatem ac sacerdotium non impetrassent, (nec fas erat) suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto ab arboribus jugisque plaustrorum pependunt. Vid. *Val. Max. libr. 6. c. 2.* Ipsa ancilla, cujus est obtemperare, & nunquam repugnare, in dominam audet, cumque ea colluctatur. Vide *Erasm. lib. 5. epist. 7.* Non secus ac apud *Florum lib. 4. cap. 11.* Cleopatra mulier Ægyptia, quæ in dominum suum Antonium est ausa, cumque eo colluctata ab Imp. pretium libidinum Romanum Imperium petiit. Vide *Propertium. 3. 9.* inducat aureum in manu baculum, ad latus acinaces: purpurea vestis, ingentibus ornata gemmis faciebat Reginam, cui diadema aderat.

Hac propter inde fluit, donationes factas marito vel uxori ad sepulturam non esse nullas *l. 5. §. 8. de don. inter Vir. & Ux.* Maritus enim vel uxor accipiens non fit locupletior *d. l. 5. §. 8.* Religiosa enim & sacra loca non sunt in bonis nostris, & consequenter nos non reddunt ditiores, *l. 1. ff. de rer. div.* illud enim, quod in commercio est nostro, neque sacrum, neque sanctum, neque religiosum esse oportet, sed ab omnibus hujusmodi nominibus vacare debet, *l. 2. §. 4. ff. de relig. & sumpt. fun.* Deinde maxima etiam hujus donationis valoris desumi potest ratio ex favore Religionis, quâ multa sunt contra juris regulas recepta, summaque ratio Papiniano dicitur esse ea, quæ pro religione facit, *l. 43. in fin. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Denique etiam illa donatio est, ex maximo inter conjunctos, qui semper adesse debet, affectu; Eam ob causam Legibus Constitutum & à Jctis receptum est: quod si uxor, quæ nullam dotem habuit, decesserit, neque hæredes ejus habeant, neque pater solvendo sit; maritum in quantum facere potest, actione funeraria conveniri posse, ne injuria ejus videretur, inquit Pomponius, quondam uxorem ejus insepultam relinqui *l. quod si nulla 28. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Dn. Lauterbach. *ad tit. de Act. §. 28.* & ab eo citati Authores,

XXVII.

Huic non absona est donatio, quam conjux conjugi facit ad refectioem ædium, quæ in tantum valet, in quantum in refectioem ædium impensa est, *l. quod si vir 14. ff. de don. inter Vir. & Ux.* Molina *tr. 2. disp. 289. n. 17.* Balch. *h. t. n. 121.* Ratio verò hujus permissionis est, vel in ipsa misericordia, quâ pars parti succurrit; dum *l. ult. in pr. C. qui potior. in pign. vel hyp. hab.* agit de assiduus aditionibus mulierum, quæ suas dotes deperditas esse lugebant, & ab anterioribus creditoribus substantias maritorum detentas, mulieribus hanc prærogativam præstat, ut contra omnes penè personales actiones habeant privilegia, & creditores alios antecedant, licet fuerint anteriores. In *§. 1. d. l. ult.* subjicit rationem: Quis earum non misereatur propter obsequia, quæ maritis præstant; propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem, pro quibus multa nostris legibus inventa sunt privilegia. Ratio alia est in utilitate publicâ & decorâ civitatis facie sita, ne
in ædi-

inædificatio impediatur, & loca vacua relinquuntur, per quæ urbis aspectus quàm maximè deformatur *l. præscriptio. 6. C. de oper. publ.* Pinel. ad *l. 1. C. de bon. matern. part. 3. n. 66. p. 405.* Non solum enim muris urbes sunt circumdandæ juxta Arist. *l. 7. de Rep.* sed & ædificiorum ornamentum considerandum, ut & belli & pacis tempore urbs benè constituta sit: Sic Macrobius in somnium Scipionis *lib. 1.* scribit: Urbis Curatores eligantur ad vias & ædificiorum structuras & ornatum huc pertinentem, ut & homines & bestię nullam injuriam inferant, & tum in ipso civitatis ambitu, tum in suburbio ea, quæ civitatibus conveniunt, fiant.

XXVIII.

Sic quoque asserimus de vestimentorum ad quotidianum usum à marito uxori donatione, quod sit licita, & nulla confirmatione indigeat neque revocari possit, *l. ex annuo 15. ff. de don. inter Vir. & Ux. l. sed usus fructus ff. ad L. Falc.* Ille enim, qui alere tenetur uxorem, licitè quoque vestimenta donare potest; nam alimentorum nomine vestes quoque comprehenduntur, *l. 6. ff. de alim. & cib. leg. l. 15. de don. inter Vir. & Ux.* Non obst. sufficere marito sui ipsius curam. *R.* à marito incipere sui ipsius curam, non tamen omnem curam in marito finire. Curet maritus, quod refert Dan. Heinsius. An & qualis viro literato sit ducenda uxor? Quæ vestis, qui cultus potissimum deceat, imprimis quid jam usu sit receptum? &c. Neque obst. Quod quidam dicunt: hanc non esse donationem, sed obligationis solutionem, quâ Maritus tenetur uxorem vestire, & sic nulla sit liberalitas, sed necessitas. *R.* casum posse existere, quo maritus non teneretur præcisè ad præstationem vestimentorum, cum uxor sit dives, aut junctâ operâ cum marito pecunias sibi acquisiverit, de quâ ad vestimentorum reparationem tribuere tenetur, & Maritus donando hoc casu vestes, liberalis verè existit. *Lauterb. n. 7. de don.* De aliis verò vestibus preciosioribus & ad certum temporis usum donatis dicendum: Quod si donatio illa non fuerit confirmata, vestes post mortem mariti restituendas ab uxore hæredibus esse: cum comòdasse potius quàm donasse maritus intelligatur, *l. siut certo. 5. S. interdum. 10. ff. Commod.* & vergit hæc prohibitio in maximam utilitatè mariti, ne per hanc occasione spolietur, aut ære alieno obruatur per superbiã, quæ mulieribus comùnibus esse solet. Hinc Plaut. in

pœnulo: Multa sunt mulierum vitia: sed hoc è multis maximum est: cum sibi nimis placent, nimisq; operam dant, ut placeant viris.

XXIX.

In illa magni momenti quæstione: An donatio fructuum inter Conjuges valeat? distinctio adhibenda est, inter fructus naturales & industriales; & dicendum, hos acquiri conjugii donatario, non verò illos: & hanc distinctionem nobis suppeditat Pomponius in *l. fructus percipiendo. 45. ff. de Usur.* ubi ait: fructus percipiendo uxor vel vir ex re donatâ suos facit, illos tamen, quos suis operis acquisierit, veluti ferendo, nam si pomum decerpserit, vel ex sylva arbores cædit, non fit ejus, &c. Rationem addunt Doctores, quia donatio hæc donantem non reddit pauperiorem, Pinell. ad *l. 1. c. 4. num. 51. C. de resc. Vend. ad l. 2. C. d. t. p. 2. c. 4. n. 49.* Sanchez. de Matrimonio *lib. 6. D. 4. num. 6. Mantica lib. 21. tit. 4. num. 37.* Wiffenb. *d. disp. th. 6.* Struve *Exerc. 30. th. 28.* Meritò itaque conjux ex re sibi donatâ, quamvis rei ipsius donatio non valeat, tamen fructus facit suos, sc. eos, quos suâ percepit industriâ: non obstante *l. fructus. ff. de R. V. l. domum. l. certum. C. eod.* in quibus malæ fidei possessores omnes omnino fructus domino restituere oportet; & quidem illa sine distinctione, siue sint naturales siue industriales, siue Civiles, siue extantes, siue consumpti, siue percepti, siue non percepti, siue exinde locupletiores sunt facti, siue non. Uxorem verò malæ fidei possessorem esse inde patere dicunt, quia rem donatam contra Leges accipit, *l. 1. 2. & 3. de don. inter Vir. & Ux. l. quemadmodum. C. de Agricol. c. qui contra. x. de Reg. Jur. in 6.* Sic in *l. si uxor filio ff. de don. inter Vir. & Ux. l. per servum donatum. ff. de A. R. D.* maritus siue uxor donataria apertè separatur à bonæ fidei possessore: Respondetur enim, hoc in loco singularem pro donatario versari rationem: non etenim planè est malæ fidei possessor; quia malæ fidei possessor dicitur ille, qui & contra LL. & invito Domino possidet: Donatarius autem licet contra leges possideat, non tamen invito domino possidet, volente scilicet uxore donante, quæ, si nihil eum voluisset accipere, nihil etiam donasset. Breviter: est & bonæ, & malæ fidei possessor. Est malæ fidei possessor, quem lex definit. Est bonæ fidei possessor, quem pro tali habet voluntas uxoris, quæ donavit. Deinde non omnino eum contra LL. possidere exinde patet: Inter Virum
namque

namq; & uxorem eas tantum prohibitas esse donationes constat, per quas patrimonium donatoris diminuitur. Pinell. ad *l. l. c. 4. n. 51. C. de Resc. Vend.* Quod verò hic pauperior donator juxta principium thesæos non fiat, notum est; & exinde clarescit, quia fructus industriales, de quibus nobis sermo, operâ, impensâ & industriâ donatarii proveniunt, & ita non tam ex ipsa re donata, quàm ex industria donatarii sunt. Iniquitatis verò esset indicium, partem donantem ex industriâ donatarii fieri locupletio-riorem, præsertim si prior non fuerit eosdem perceptura fructus, *l. fin. C. depositi.*

XXX.

Confirmantur autem donationes inter conjuges interdum vel juramento, vel morte donantis. Quoad juramentum distinguendum erit inter Jus Civile & Canonicum: de Jure Civ. obtinet negativa, quia eo invalida negocia nec juramento confirmari possunt, *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 5. C. de LL.* Bachov. ad Treutl. *vol. 2. disp. 19. th. 3. lit. e.* Pacto enim fieri nequit, ne liceat donatori pœnitere & revocare donata, vel res ob ea retinere, *l. 5. ff. de pact. dotal.* itaque nec jure jurando: de ea re enim, de qua pactum non valet, nec jus jurandum vim obligationis habet, aut servari debet, *l. juris gentium. 7. §. & generaliter. 16. ff. de pact. l. stichum. §. naturalis. ff. de solut.* Deinde notum est: Ea non valere, quæ sunt contra interdictum juris, & juramentum in iis interpositum non esse servandum, in *l. non dubium. 5. C. de LL.* Has autem donationes contra Legum interdicta fieri, constat ex *l. 1. 2. 3. & passim. h. t. de don. inter Vir & Ux.* Jus jurandum verò quamvis amplissimas habeat vires, tamen non tantæ est virtutis atque efficacix, ut actum illicitum & Legibus prohibitum reddat licitum, vel ut actus ipsius naturam invertat & transformet: sed in eo consistit, ut actum per se justum atque licitum firmet, & ad illum servandum interposita religione magis adstringat, juxta *Auth. Sacramenta C. Si advers. Vendit.* & ita actus accessorium tantum est, non ipsum principale negocium, *l. fin. C. de non num. pec. l. 129. in §. de R. 7.* Est enim juramentum invocatio Numinis divini, qua Deum ut veritaris testem & ultorem atque Vindicem perfidix in actionibus nostris invocamus. Cujus similem observantiam apud Romanos, in omnium juramentorum sanctissimum fuisse constat, inde per
Jovem

Jovem lapidem jurare sumptum, ut quidam interpretantur: Quod jurans sibi malè precabatur, si fefellisset: his conceptis solemnibusque verbis: *Si sciens fallo, ita me Diespiter salvâ urbe arceq; bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*: quem statim, quâ poterat vi, projiciebat: ut est apud Livium, Cic. & alios passim. Apud Græcos testatur idem Cicero, solemnem fuisse morem jurandi causâ, ad aras accedere. Unde Virg. lib. 12. *Aeneid.*

Tango aras, mediosq; ignes, & Numina testor.

Et quanquam non per Deos solùm, quos colebant, sed etiam per homines, quos diligebant, maximè jurabant. Sic Brutus apud Livium lib. 1. per Castissimum Lucretiæ sanguinem jurat.

Cum foderet castum ferro Lucretiæ pectus,

Sanguinis & torrens egrederetur, ait,

Testetur cunctis me non violasse pudorem,

Ante virum sanguis: Spiritus ante Deos.

Vide *Florum lib. 1. c. 7. & c. 24.* D. Hieronymum sub finem *lib. 1. advers. Jovinianum.* Alius assentiret Quintiliano, qui de *Lucretia decl. 3.* Condito in viscera sua ferro pœnam à se necessitatis exegit, & ut quamprimum pudicus animus à polluto corpore separaretur, se ipsa percussit: quæ Quintiliani non tamen voluntariam pollutionem indicant, ut innuit illud Poëticum.

Vim passa est Phæbe, vis est illata sorori

Et raptis raptor gratus uterq; fuit.

Sed perseveremus in medio Juramenti. Juravit Cajus Caligula per *Drusillæ* Nomen. Claudius Imperator nullum sanctius juramentum, quàm per Nomen Augusti esse credidit, Suet. in *Claud.* Imo & ipso Augusto vivente jurabant Romani per Nomen & Numen Augusti, & qui pejeraret, acriter puniebatur, ut indicat, *l. 13. §. fin. ff. de Jurejur.* Ex verbo tamen definitioni inserto, *Numinis Divini*, clarè colligitur: Nobis ut Christianis ipsum Creatorem esse invocandum, quod & Lex Sacra *Exod. 22.* jubet: ubi à Deo vetitum est, ne per falsorum Deorum Nomina juremus. Et Canones sacri vetant *c. 7. 10. 22. quest. 4.* Ne religiosa per juramentum assertio fiat per *Capillum Dei*, vel caput aut membra Christi, aut Virginis Beatissimæ. Hæc enim omnia Blasphemias sunt, & idololatrarum superstitiosa commenta.

Quo Jure igitur per creaturas jurare, (quod de Jure Civili quàm maximè licebat, uti colligitur ex *l. 41. C. de transact. l. 13. S. ult. ff. de Jurejur.* ubi jurabant per genium Principis: Sic in *l. 5. in pr. eod.* quis jurat per salutem suam, in *l. 3. S. ult. eod.* quis jurat per caput suum: Sic jusjurandum, quod præstatur ab his, qui administrationes accipiunt, fit per Sanctos Archangelos Michaellem & Gabrielem, *Nov. 8. in fin.* uti & in Pontificiis Curiis observatur, ubi per Sanctos & Sancta Sanctorum juratur. Ayres in processu *p. r. c. 6. obs. 5. n. 3.* Item super igne S. Antonii. Ant. Delr. de Juram. Cal. *c. 18. n. 17.* Quod in Sabaudia in usu esse Anton. Faber ad *l. 5. S. 2. de Jurejur.* testatur.) Expresè prohibitum est *Can. Confidera. 22. q. 1. c. si quis per capillum S. & si quis quest. 1. c. etsi Christus S. licet enim & S. Sic & juramenuo X. de Jurejur.* Wesemb. de Jurejur. *n. 6. lit. g.* Non obstat *c. 10. quest. 5.* Ubi est perjurium ex opinione Ethnici, cui juratur, & quia sub specie juramenti à Christiano fallitur; ideoque insignis hæc perfidia etiam respectu hujus perjurium vocatur. Cum quo etiam consentit Jus Divinum. Inquit enim Christus *Math. 5.* Nolite jurare nec per cælum, nec per terram, ideoque per solum Deum est jurandum: Ipse enim Solus ut Omnipotens adoratur, etiam Solus ut Omniscius ac Omnipotens in conscientia nostræ testem & perfidia Ultorem invocatur, *Deut. VI. 13. 20. Ebr. VI. 16.* Quando verò Moses *Deut. XXX. v. 19.* Cælum & terram in testimonium vocat, & quando alias per creaturas fit religiosa assertio, tunc eæ, ut interpretes explicant, non invocantur; sed tantum unius veritatis contestatione altera declaratur, & quia Creaturæ omnes in Deo sunt & sustentantur, ideo tacite simul includitur Nomen Dei. In Juramentis igitur propriè fit veritatis assertio per S. Dei Nomen. In obtestationum formulis tantum fit ejusdem veritatis declaratio per similia exempla, quorum veritas ei explorata est, cui verba fiant. *Franzk. h. i. n. 20. & seqq.* Hujus occasione quæritur: Quid si cum Gentilibus nobis negocium sit, in quo ad jusjurandum pervenimus, an ab illis aliud possit peti juramentum, quàm per verum Deum? Et Respondemus, quod ex necessitate quadam hypotheticâ concedendum sit, ut per falsos Deos juramentum fiat, quo tamen in casu rectissimum sit, ut ipsis deferatur juramentum per

Cœli & terræ Creatorem: quem ipsi etiam Gentiles ex lumine naturæ, quamvis confusa cognitione, Deum agnoscunt: (Sicuti & Judæi in Camera Imperiali per Legem Mosaicam & super decem præcepta jurare coguntur, *Mynf. cent. 6. obs. 20.* Quod tamen si præstare recusant, ab ipsis ut accipiatur juramentum, quale haberi potest, necessum est *c. 16. in fin. q. 1.* Sicuti enim juxta verba Cornelii à Lapide in *Comment. in Genes. c. 37. v. 13.* licuit Jacobo à Laban; ita cuivis fideli licet ab infidele excipere, imò exigere in necessitate juramentum, etiamsi sciat infidelem juraturum per falsos Deos, ille enim juramentum solum exigit, id ipsum verò fieri per falsos Deos tantum permittit & tolerat, idque ob justam causam, puta necessitatem, *Franzk. h. t. n. 13.* Quare si Turco deferatur Juramentum, utilitas postulat, ut per Machometem juret: Quia per Christum quem non agnoscit, facile pejerabit, Duar. in *Comment. prior. ad tit. de Jurejur. c. 11.* & in posteriori *c. 4. fol. 864. col. 2.* Anton. Faber. in *l. 5. §. Divus. d. t. Grot. lib. 2. de J. B. & P.*

XXXII.

Hæcque sunt Juris Civilis, quo amplexi sumus sententiam eorum, qui donationes inter Virum & Uxorem juramento confirmari negabant. De Jure Can. sequimur sententiam Affirmantium, per *Cap. cum contingat. 28. x. de Jurejur. c. 1. & 2. x. de Jurejur. in 6.* Quia omne Juramentum, quod neque contra bonos mores est, neque in tertii præjudicium, neque in æternæ salutis detrimentum vergit, est servandum, *Berlich. part. 2. c. 15. d. 14. Gail. 2. obs. 40. num. 5.* ubi in Praxi hoc observari docet. Hoc verò juramentum non esse contra bonos mores exinde patet. Quia boni mores hic intelliguntur, qui sunt proximè in ratione naturali fundati, & turpitudini seu actibus illis, qui peccatum implicant, oppositi, *Covarruv. in Cap. Quamvis in 6. de pactis p. 2. num. 6. & seqq.* Unde etiam, ut si juramentum super illis rectè interpositum sit, sine metu perjurii, vel sine dispendio salutis retractari, ita si malis moribus accesserit, servari non potest, sed ipso Jure nullum est, nec ullam absolutionem desiderat: Hic verò noster actus, sc. donatio, cum jure tantum positivo civili prohibitus sit, non verò naturali, ideoque juramentum illi appositum contra bonos mores non est; & Jure Canonico, quod in hac materia conscientias quàm maximè concernit, per illud confirmatur, Cui etiam standum & præfe-

præferentia præ jure civili tribuenda est: Cum in concursu utriusque Juris, Canonicum tanquam animarum salutem consulens, Civili, quod bonum externum saltem promovet, merito prædominatur. Gutierrez in repet. *aut Sacramenta puerum, c. 14.* Coler. de process. exec. *p. 1. c. 10. n. 15.* Neque vergit juramentum hoc in præjudicium tertii manifestè, & si fieret aliquando in tertii præjudicium, ex accidenti tantum sequeretur; merito itaque ad confirmandam hanc donationem juramentum accedere potest: Neque in præjudicium Authoritatis publicæ, nam in illa authoritas publica non est solius Juris Civilis, sed etiam Canonici, juxta Magnificum Dn. Brandmyllerum in *Manuduct. ad Jus Can. & Civ. in differ. Juramentum omne*, Nam si vergeret in præjudicium publicæ Authoritatis, utique nullius esset vigoris: nemo enim privatus publico potest renunciare Juri, *l. Jus publicum 38. ff. de Pact. Cap. si diligenti. X. de foro comp.* Et peccatum est, pacisci in præjudicium boni publici, & ita, quod in tali materiâ versatur juramentum, tanquam iniquum, non est servandum, ac proinde non potest actum confirmare. Non obstat sententiæ nostræ *Cap. 12. X. de foro comp.* Quia juxta supra dicta prohibitio donationis est tantum Juris Civilis: Allegato verò in capitulo juramentum præstitum est contra statuta Canonica: Jus autem Canonicum sequitur jus Naturale & Gentium: De Jure verò naturali hæc donatio Conjugalitatis valet: & cum Capitulum de diverso à nostro casu sit conceptum, ideoque de eo diversa etiam obtinet Juris dispositio. Neque in contrarium movet, *Cap. licet de Jurejur. in 6.* Quia illud de eo loquitur casu, ubi prius de non donando juramentum interpositum est, & donatio illa per juramentum posterius firmari non potest, quia cum juramentum super actu Jure Civili invalido appositum sit licitum, per *cap. debitores X. de Jurejur.* subsequens utique erit illicitum, continens vinculum iniquitatis, quod proinde non potest tollere vinculum prioris juramenti. Nec obstat huic rationi, *C. fin. de Proc. in 6. & cap. sicut X. de sponsalib.* ubi actus contra prius juramentum tenet. Nam ibi est actus, qui non habet vim ex juramento, sed per se subsistit: Hic autem agimus de actu per se invalido, & habente solam vim ex juramento. Vide Covarr. ad *C. quamvis p. 2. §. 2. n. 6. & seq.* Sic quoque *R. ad c. inter cetera, c. 22. quest. 4.* proponi ibidem jura-

mentum metu extortum, quod non est servandum, nisi sit super materiâ capaci, & honestè impleri possit, *Cap. si verò. 8. Cap. verum. 15. de Jurejur.* Ubi per metum injuria illatum (de eo enim metu, qui sine injuria infertur, cum obligatio, cui accedit juramentum, sit voluntaria simpliciter, quod obliget, certum est, *l. 3. §. 1. l. 21. in pr. ff. quod met. caus.*) juramento confirmata dicuntur irritanda, non etiam irrita esse, ut præsupponenda sit obligatio, Covarr. ad *4. Decret. p. 2. cap. 3. §. 5. num. 2.* Matth. de Afflict. *decis. 263.* Suarez de Juram. *l. 2. cap. 10.* Sanchez. in Dec. *lib. 3. c. 11. num. 13.* Ratio est: Quod nec metus solus, nec sola injuria, nec utrumque simul auferat intentionem & voluntatem obligandi, cum coacta voluntas etiam sit voluntas, & injuria nihil conferat ad minuendam voluntatem: Ut non obstante metu injurioso sit verum juramentum, quod consequitur sua obligatio.

XXXIII.

Alter confirmandi donationes Conjugales modus consistit in morte donantis, qui donationem nec expressè, nec tacitè revocavit, per *l. cum hic status. 32. §. 2. & seqq. ff. l. 1. l. 10. l. 24. l. 25. C. de don. inter Vir. & Ux.* Andr. Gail. *lib. 2. obs. 91. n. 1.* Henr. Bocerus de Donat. *cap. 3. num. 24.* Quod & in Praxi observari testatur Carpov. *p. 2. const. 13. def. 15.* Quæ donatio multò magis subsistit, si testamento specialiter fuerit confirmata *l. 14. C. d. t.* & in ea voluntate usque ad extremum vitæ diem Donator perseveraverit, neque ullo modo declaraverit se pœnitere donationis factæ, *l. 32. §. 2. ff. d. t.* Neque refert, quâ morte obierit donator, dummodo eam non sibi consciverit ob sceleris conscientiam, *d. l. 32. §. 7.* Quæritur autem: An donantis morte Civili confirmetur? ut si libertatem amiserit vel ob ingratitudinem in servitutem redactus fuerit? Affirmativam defendunt Perez in *C. h. t. Berlich. p. 2. c. 15. num. 16.* per *l. 13. §. 1. ff. d. t.* Quibus etiam assentire videntur Tiraq. in *lib. 25. tit. 7. num. 9. & seq.* Sanchez. *lib. 7. disp. 17.* Qui tamen id ita intelligunt: quod revocari hæc donatio possit, donec mors naturalis sequatur, Mant. *lib. 25. tit. 10. num. 12.* & ita in effectu cum nobis propter expressos in hanc materiam textus negantibus consentiunt; qui habentur in *l. 32. §. 6. ff. l. 24. C. in fin. d. t.* Quod verò attinet *legis. 13. §. 1.* à Berlichio allegatæ verba præcedentia, sunt illa non simpliciter & absolute accipienda: sed

sed secundum quid, & in eum quidem effectum, ne fiscus scilicet ea bona mulieri donata accipiat: de hac enim quæstione principaliter ibi agitur, & hanc nobis suppeditat Responſionem *l. 24. C. d. t.* Quando verò morte donatoris confirmata est donatio, retrahitur ad tempus donationis, quasi ab initio valuerit, arg. *d. l. 24. Sanchez. de Matrim. lib. 6. disp. 16. Mantica. lib. 21. tit. 7. num. 24.* Sic si donator captus est ab hostibus, & in servitutem redactus, valet donatio: Si decesserit in captivitate, & ita morte confirmata fuerit naturali hæc facta donatio. Quod si verò in civitate decesserit, eo tempore, quo donataria erat in captivitate hostium, quæ postea ad suos rediit: & donatio valebit perinde ac si mortis donatoris tempore donataria capax fuisset donationis: Nam sicuti priori in casu fictio Legis Corneliæ obtinet; ita & posteriori in casu, fictio postliminii *l. ult. C. de don. inter Vir. & Ux.* Non confirmatur autem donatio morte, quando donatarius prius decessit; Hujus etenim morte donatio inter conjuges infirmatur, *Cap. fin. x. de don. inter Vir. & Ux. Sanchez. lib. 6. disp. 14. n. 20. & seq.* & hæc donatio impossibiliter morte confirmari potest; Quia mors non invenit confirmandum, & non potuit donatarius jus, quod nondum habuit, in alium transmittere. Mantica de Tacit. & ambig. *Convent. lib. 25. tit. 10. num. 9. Sanchez. d. 7.* Urgetur mors donatoris non donatarii. Quæ autem ratio sit, cur oporteat donatorem priorem mori, ut confirmetur donatio, eademque infirmetur, si donatarius prior vitâ decedat, aperiendum est. Neque enim, ut opinor, id lex morti aut vitæ tribuit, sed potius voluntati donatoris, quam voluntatem lex, i. e. Oratio Antonini sic est interpretata, ut si donator superstes donatario esset, donationem revocatam esse velit. Nam, ut hæreditates & legata ferè relinquuntur, vel benè de testatore meritis, vel amicis *l. 9. ff. pro socio*, eaque si is, cui relicta sunt, ante testatorem moriatur, pro non scriptis habentur, nec ad hæredes ejus transeant, *t. t. ff. de his, quæ pro non scr. hab. l. un. §. 3. C. de Caduc. toll.* sic & multò quidem magis nemo alteri donat, qui non ejus, cui donat, vel merita, vel benevolentiam spectet, atque ad ejus ipsius personam beneficium suum pertinere velit, nullâ hæredum ejus vel cogitatione, vel contemplatione.

An verò si donator rem donatam oppignoraverit, tacitè revocasse videatur, quæstionis est? Respondemus distinguendo inter Jus Vetus & Novum, de illo regulariter donatio revocata videtur, nisi ex circumstantiis alia appareat voluntas, *l. 32. §. 5. ff. l. 12. C. de don. inter Vir. & Ux.* de hoc verò donatio per oppignorationem rei donatæ non revocatur, per *Nov. 162. c. 1. §. 1.* Cum necessitatis potius, quàm donationis revocandæ causâ rem pignorerit. Et multi quanquam de autoritate hujus Novellæ Doctores dubitent, ut Bachovius & alii: quam plurimi tamen, & præsertim practici ad decisionem hujus Quæstionis eam allegare solent, juxta Dn. Lauterbachium, & ab eo allegatos Authores: nisi alia dixi appareat voluntas, quæ interdum præsumitur. e. g. si donatori marito uxor donataria gravem injuriam intulerit, aut adulterium commiserit: quo casu donans mentem & voluntatem donandi mutasse validè præsumitur, de quo si constat, mulier quin privetur re sibi à marito donatâ, nullum est dubium: Uxor etenim thorum suum violans maximè in personam mariti delinquit, proptereaque beneficio à marito acquisito jure meritoque indigna censetur: non enim beneficio dignus est, qui contra leges peccat. Sic de Jure feudali Vasallus, qui cucurbitavit Dominum, propter violatam, per concubitum cum Uxore ejus, personam Domini, feudo privatur, *c. qui supra. vers. item si fidelis & c. quib. mod. feud. amitt. 1. feud. 5. & c. sancimus. §. fin. de feud. sine culp. non amitt. 1. Feud. 21.* Quid si uxor sit illegitima? Resp. Vultejus *lib. d. feud. 1. c. 11. n. 31.* siquidem contra prohibitionem Juris Civilis tantummodo sit ducta, cum in ejusmodi etiam uxore adulterium committatur, *l. 13. §. 1. ad L. Jul. de Adult.* idem in hac, quod in illa, statuendum esse existimatur. Quod si autem nuptiæ illæ repugnent Juri Naturali & Divino, atque aded sint incestæ; si quidem hoc casu nulla est conjunctio, nulla uxor, nulla dos, *§. pen. Inst. de nupt.* nullum etiam est adulterium, atque aded nulla pœna, nec ulla feudi amissio. Quod de uxore illegitimâ dictum, & ad sponsam extenditur, *arg. l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de Adult.* quia omne id, quod sponsæ fit, ad contumeliam sponsi spectat *l. 15. §. 24. ff. de injur.* Etsi enim sponsa uxor non sit, uxortamen esse intelligitur in his, quæ ad futuri mariti honestatem

nestatem pertinent. Et ad Viduam, eo sc. in casu, si tempore luctus cum Vasallo sese exercuerit, qui hoc tempore suspicionem adulterii, adhuc vivo Marito commissi, incurrit, *Nov. 39. c. 2.* Postea verò contrarium obtinet *d. c. sancimus. §. fin. 1. Feud. 21.* ubi expressè Domini viventis fit mentio: unde facilè colligitur, mortuo eodem aliud dicendum esse, *Bald. ad d. §. fin. num. 4.* *Bocerus disp. 17. th. 55.* Vide *Rosenthal. c. 10. concl. 27. num. 51.* *Struve in Syntagm. Jur. Feud. c. 15. num. 9. in fin.* Sic quoque de concubina obtinet, cum ea nec Jure Civili, de quo licet concubinatus licitus sit, uxor sit, vel uxoris appellatione veniat, *l. 17. ff. Rev. Amot.* Non obstat *Nov. 115. c. 3. §. 6.* ubi filius propterea, quod cum concubina Patris luserit, exhæredari potest, *Schrad. p. 9. c. 2. n. 15.* Dispar enim est ratio filii & Vasalli, nam in eo est sanguinis confusio, quæ in hoc cessat. *Rosenth. c. 10. concl. 26. n. 1.* Hanc quæstionem animo titubanti tractat *Vultejus d. Feud. lib. 1. c. 11. num. 31.* ubi præmittit uxori Jure Civili non multum absimilem esse concubinam. Deinde addit concubinatum æstimari posse ex antiquo Jure Civili, quo is erat permixtus: Tandem submittit Jure Civili novo, & præsertim *Nov. Leonis Imp. 91* & Jure Pontificio concubinatum fuisse prohibitum, ita ut concubinatus videatur esse quædam species stupri: Ubi autem est stuprum, ibi nulla est honestas. E qua contradictione cum oppositum concludi deberet, *Vultejus* iis ad stipulandum esse existimat, qui existimant non idem de concubina Domini, quod de uxore ejus dispositum est. Quoad uxorem verò sufficit, si Vasallus cum illa solummodo turpiter luserit, manum scilicet sub indusio occultaverit, *Jacob de Ardiz lib. 2. c. 86.* luxuriosè eam osculatus fuerit, *Rosenth. c. 10. concl. 28. n. 8.* *Rittershusius lib. 2. cap. 5. num. 95.* Aut munusculis pudicitiam ejus sollicitaverit: aut amatorias literas ad eam dederit, aliisque mediis illicitis ad seductionem Uxoris Domini fervientibus usus fuerit, *Bocer. d. disp. th. 44.* *Rittersh. d. c. 5. quæst. 96.* Canonistæ hîc mirabilem limitationem habent. Non, inquit, procedit in vasallo clerico, osculante uxorem Domini. Ratio ipsorum est, quia clerici osculantes mulierem, eam non libidinis, sed benedictionis imprimendæ causâ osculari præsumuntur. *gloss. in c. absit. 11. q. 3.* *Sinckelstausen* & post eum *Hahnio* in controv. feud. *disp. 10. th. 10.* frivola & inutilis hæc est limitatio:

Nam

Nam 1. natura tam clerico, quàm laico est communis, arg. l. 12. §. ult. in fin. de Accus. Unde cum sint homines, & imbecillitatibus humanis subiecti, adeoque & Clericus in loco secretiori deprehensus, ob malè servatam fidem, tantùm fidei amplius hodiè, ut olim non habet, nec solus cum muliere solâ in angulo præsumitur esse Angelus, aut orare Pater Noster. Schrader. d. feud. p. 9. c. 2. num. 87. & seqq. siquidem antiqui hostis stimuli non desunt, c. oportet. 23. v. neque enim dist. 81. Adhæc sæminæ clericorum nomen nosse, vultum nescire debent, can. hospitium 17. §. femina dist. 32. Si verò spontaneâ pænitiâ & nullo interveniente impedimento Vassallus à tali conamine abstinerit, neque res ad actum turpem pervenerit, veniâ dignus est, arg. c. quidam Capitaneus, §. si voluerit. 2. feud. § 1. Bocer. d. disp. th. 46. Omnino debet fieri mentio conaminis, quia ex delicti jam commissi pænitiâ, licet ea Deo & Reip. grata sit, nemo nocens esse desinit. Sic fur, licet confestim rem furtivam Domino restituat, ab actione tamen furti se hoc modo non eximit, d. l. 65. de furt. Ita fugitivus est, qui eâ mente discedit, ne ad Dominum redeat, tamen si mutato consilio ad Dominum revertatur, l. 17. §. 1. de edil. Ed. Vide Fachin. libr. 7. c. 84. Bocerum de mod. amitt. feud. tract. 5. c. 3. n. 24.

XXXV.

Confirmata verò inter Conjuges donatio numerum 500. solidorum si excedat, uti regulariter omnis donatio, actis insinuri debet, §. 2. Inst. de don. l. 25. l. 27. l. 35. §. 3. C. d. t. Est autem insinuatio [quanquam à multis multivariè definiatur, uti constat ex Bartolo in l. 23. ff. de don. Schneidevvin. ad §. 2. n. 7. Inst. eod. Ant. Gabriel. tit. de donat. lib. 3. conclus. 1. Obrecht. disp. 2. th. 173. & Mozzio in tract. de donat. tit. de substantialib. num. 6.] publicatio donationis apud acta: vel ejus quod agitur coram judicè in scripturam redactio; pro cuius formâ Leges jubent ut donatio in scripturam redigatur, & ita scripta complectatur: 1. Nomen donantis. 2. Nomen donatarii. 3. Jus illud, quod donator in re donata habet: Nihil verò refert, in quocunque materiæ genere scribatur, aut utrum à donatore vel alio, quam fors ministravit, subscribatur, l. 25. C. de don. Nec necessum est, ut vicini vel alii testes adhibeantur, secundum Zenonis constitutionem, superfluum enim existimat privatam testimonium, cum publica monu-
menta

menta sufficiant, *l. 31. in pr. C. de don.* Imò neque monumenta requiri certissimi juris est, quandoquidem donatio fiat intra legitimam summam, *l. sancimus 34. & l. pen. §. ult. C. de donat. Nov. 162. c. 1.* At verò amplioris si sit summæ, insinuatione indiget, referendaque venit in acta publica, *d. l. 35. §. 3. h. t. & hæc ex Legis Civilis dispositione originem trahunt, non absoluto naturæ vel Gentium Jure.* Quanta autem fuerit solidorum æstimatio eo tempore, quo hoc est constitutum, certò non constat; diversis quippe temporibus diversa apud Romanos fuit solidorum æstimatio. Solidi verò in Jure nostro nihil aliud sunt, quam aurei, nam quod dicitur solidus in *§. fin. Inst. de pen. temerè litig.* aureus appellatur in *l. pen. & ult. ff. de in jus voc. Andr. Gail. lib. 2. obs. 39. num. 1.* ubi ait, id communiter receptum esse, Aurei verò dicuntur, non quod ex solo auro sint, sed quod integram & solidam assem contineant, et ita aureus ab eo discernatur, qui dimidiatur, aut dimidiato minor erat, Auctore Francisco Hotom. in *libr. de re nummaria*, quem refert & sequitur Dominus Bocerus in *comment. de don. c. 3. n. 26.* Hodie quales intelligantur, & in veterum solidorum locum surrogati sint, non omnium eadem est sententia, & varii varia tradunt, uti videre licet ex Wurmsero in *pract. obs. lib. 1. tit. 49. de v. s. obs. 11.* Bernharðo Grævæo *lib. 2. concl. 39. considerat. 2.* Gutierrez. tract. de Juram. Confirmat. *cap. 7. n. 4. & seq.* Köppen. *decis. 5. n. 16. & seq.* Schneidevvin. ad *§. 2. Inst. de don. num. 24.* Moller. *lib. 1. semestrium cap. 37. num. 2.* Bocero. *d. c. 3. n. 56. & seq.* Sic quidam Rhenanos surrogatos existimant Hahn. *h. t.* Struve in *Exerc. h. t.* Alii verò & quidem plurimi Ducatos, sive Aureos Ungaricos substitutos arbitrantur, & tunc demum insinuatione opus esse statuunt, si 500. Ducatos excedat donatio. Cujus tamen donationis licitæ numerus olim erat 200. solidorum *l. 5. C. de suscept. prapof. & arcar.* postea verò summa excrevit ad 300. Aureos *l. 34. in pr. C. de don.* deinde eam justinianus Imperator produxit ad 500. quos licet donare absque insinuatione & monumentis publicis *l. pen. §. ult. C. d. t.* Quod verò, ut ad insinuationem perveniendum, excessus 500. Ducatorum requiratur, Scabinos Lipsienses ita pronunciaisse testatur Carpzov. *p. 2. c. 12. d. 12.* Jenenses Jctos, Richter *p. 1. dec. 26. num. 59.* Sande *lib. 5. tit. 1. d. 3. in fin.* Quod si non in auro & pecunia, sed aliis in rebus dona-

tio consistat, quantitas earum æstimari debet, ut videre exinde liceat, an donatio præscriptam 500. Ducatorum summam excedat, *d. l. 34. §. 1. Gail. lib. 2. obs. 39.* Si verò diversis temporibus diversas res quis donaverit, quæ singulæ hanc summam non excedunt, sed simul sumptæ; non est necessaria insinuatio per *l. 34. §. 3. C. de don.* In hoc autem insinuationis requisito, primò omnium, & antequam de Jure communi pronuntiatio fiat, ad cujusq; loci consuetudines & statuta est recurrendum, & ad quam usque summam sine insinuatione donatio valet, attendendum. Sic de Jure renovato Württembergico donatio, quæ excedit summam 200. Coronorum, judicio insinuanda est, *part. 2. tit. 18. pag. 303.* Ita Coloniae ad 1200. aureos, & Aquisgrani ad 2000. Aur. monetæ currentis, ut vocant, donatio absque insinuatione facta subsistit, teste Gailio *lib. 2. obs. 39. n. 4.* & Obrechtio *disp. 2. de don. th. 168.* Ne pluribus exploremus, vel in numerum rei donatæ, vel in rationem insinuationis, vel in id, quod insinuationi æquipollet, numerus, qui potuit esse vel minor vel major, quingentis nummis est definitus. Ratione insinuationis cohibetur nimia doni magnitudo, ne illa imprudens videatur & prodiga, quæ donatori immodica largitione noceat, vel eundem toto patrimonio denudet. Insinuationi quid æquipolleat, vide Magnifici Domini Brandmylleri Manuduct. ad Jus Can. & Civ. *diff. donatio etiamsi &c. Julium Clarum lib. 4. sentent. §. donatio quest. 18. Jason conf. 51. num. 3. vol. 1. Andream Gerhardi dec. 7. quest. 9.*

XXXVI.

Quod verò insinuatio hæc donationis 500. solidos excedentis jure sit introducta, rationes non deficiunt. Tollitur etenim primò per illam omnis fraudis atque doli suspicio: Judicis enim præsentia omnem doli præsumptionem excludit, *l. 1. C. de prad. & aliis reb. min. c. sicut nobis. §. ult. X. de sent. & re judic.* Et Acta semper loquuntur, & notorium faciunt *c. ult. X. de cohabit. Clericor. c. quoniam contra. X. de probationib.* Secundò occurritur variis falsis probationum modis, qui per testes aut indicia sæpius exerceri solent, *arg. l. fin. C. de fideicommiss.* Tertiò Reipublicæ expedit, ne quis temerè patrimonium suum effulis largitionibus exhauriat: per has enim immodicas donationes prodigi quis suspicionem incurrit, qui neque finem, neque modum largitionum scit, & ita re

suâ quàm pessimè utitur, *S. ult. Inst. de his qui sui vel ali. Jur. sunt.* eamque perdit, *l. 7. pr. ff. de don.* Quartò donator tempore illo, quod inter donationem & insinuationem intercedit, potest ea, quæ agit, meliùs ad animum revocare, & deliberare secum, an ex hac donatione nihil incommodi sibi obvenire possit, quod plerumque in eo consistit, ut sibi quis infensas reddat illas personas, quæ spem quandam de donantis hæreditate habent, & sic donando amicum, plures verò inimicos sibi conciliet; & expediat donationem perficere, nec ne? *arg. Nov. 23. cap. 1. vers. ut liceat homini intra id spacium plenissimè deliberare.* Quintò denique iteratio actus, quæ per insinuationem revera fit, ostendit & declarat constantem & perseverantem mentem ipsius donatoris, sicuti de actu geminato legitur in *l. Ballista 32. ubi gl. & Dd. ff. ad SCtum Trebell.* Roland à Valle *consil. 70. num. 17. lib. 2.* Antonius de Canario *in tract. de insinuat. part. 1. quest. 9. num. 18.* Mozzius *in tr. de don. tit. de substantialib. sive, quæ requirantur in donationibus. n. 7.* Rebuff. *in Comment. ad Reg. Const. Gall. tom. 1. tit. de don. insinuand. art. 1. gl. 1. num. 2.* Menoch. *conf. 261. num. 19. & seqq. lib. 3. & Bocer. in comment. de don. c. 3. num. 57.*

XXXVII.

Insinuatio hæc Constantinopoli fiebat adud Magistrum census: In provinciis apud præfides vel defensores Civitatis *l. 30. C. de don.* Sin autem apud alium Magistratum, quàm cujus Jurisdictioni subsit donator, insinuari donationem contingat; donator, donatarius & tabellio vicenarum librarû multa plectuntur, *l. 32. C. d. t.* Quæ lex cum specialem contineat casum, de donatione nimirum in urbe Constantinopolitana facta, non impedit, quod coram quocunque iudice insinuatio fieri possit, etiam incompetenti, si scilicet neque donator, neque donatarius vel ratione domicilii, vel rei sitæ forum coram eo fortiaur, *l. 27. l. 30. C. d. t.* Voluntariæ enim Jurisdictionis est: *Gail. lib. 2. obs. 39. n. 28. & obs. 123. n. 5.* Hottom. *conf. 1.* Bocer. *in Comment ad tit. de don. c. 3. n. 49. & 50.* Carpz. *p. 2. const. 12. d. 21. & lib. 5. Resp. 57.* Et hoc simili modo in foro Saxonico observatur, nisi donatio facta sit rerum immobilium, tunc enim requiritur, ut insinuatio coram illo iudice fiat, in cujus territorio res donata sita est, *Carpzov. dd. ll.* Consultius tamen & tutius Doctores existimant fieri insinuationem

rionem istam semper coram iudice competenti, cui scilicet donator vel res donata subiecta est, ad causam, si controversia fiat, eò facilius determinandam, Bocer. *d. l. Schneidevv. ad §. 2. num. 11. Inst. de don.* Cum itaque donationis hæc insinuatio voluntariæ sit jurisdictionis, clarè patet, quod ipse Magistratus ad propria acta donationem suam referre, & in propriâ causâ competens iudex esse possit, *l. 3. de Adopt. l. un. de off. Conf. Berlich. lib. 2. d. 187. num. 5. & 15. Carpz. p. 2. const. 12. d. 16.* Quæstionis autem est; An ut insinuatio hæc fiat, semper necessaria sit præsentia donatoris & donatarii; an verò per intermediam personam, procuratorem, nuncium, vel epistolam fieri queat? Quod posterius affirmamus per *l. 43. §. 1. de Procur.* quæ generalem continet regulam, & asserit: omnia negotia per procuratorem fieri posse, quæ specialiter excepta non reperiuntur: ut & per *l. 6. C. de don.* quæ per absentes eam fieri posse expressè probat. Nec obst. contradicentium argumentum à testamento vel mortis causâ donatione desumptum. Hoc enim in casu ab actu ultimæ voluntatis ad actum inter vivos non procedit argumentum, quia ultima voluntas expressè excipitur, cum in ea propter fraudes evitandas semper testatoris præsentia requiratur, *l. 12. C. de testam.* Ultimæ enim voluntates post mortem demum constituentium perficiuntur & producuntur, & ita testator tunc non potest contradicere. Quod secus est in Actibus inter vivos, circa quos, si falsitas aliqua irrepperit, semper contradicendi facultatem constituens retinet. Intermissâ verò donationis insinuatione annullatur ipsa donatio, non quidem in totum, sed pro eâ parte, quæ definitum à jure modum excedit, *l. 34. C. de don. nempe 500. solidos l. 35. §. 3. & l. pen. §. ult. C. d. t.* sicut olim pro 300. aureis valebat, *d. l. 34. in pr. & §. 1.* idque idèd ne utile per inutile virietur, *c. 36. de R. J. in 6.* Non obst. *l. 25. C. d. t.* in quâ Justinianus, ut legem suam insinuationem requirentem interpretetur, solùm statuit donationes inter Virum & Uxorem excedentes aureos quingentos insinuatione indigere, & subsistere usque ad concurrentem quantitatem. Fachinæus *lib. 3. Controv. c. 12.* Repetitur autem id, quod excedit quingentos solidos, conditionè sine causa, *l. 21. in fin. & ibid. gloss. de don.*

Excipiuntur tamen quædam donationum genera, quæ etiam si excedant quingentos solidos, insinuatione non indigent, & citra illam plenissimam habent firmitatem. Cujusmodi sunt: Primò donatio ad refectionem ædium igne inustarum vel ruinâ collapsarum facta, *l. 36. §. 2. C. de don.* Ubi notat Brunnemannus, hanc quartam esse exceptionem in donatione factâ his, quorum domus incendio vel ruinâ corruptæ sunt: Nam donator non tantùm donationem factam revocare nequit, sed etiam ad præstandam solutionem conveniri potest, modò donatarius non ad alium finem, sed ad hunc expendat pecuniam donatam. Secundò ad redemptionem Captivorum celebrata, *d. l. 36.* Tertiò, à Ducibus belli, sive à Magistris militum ipsis militibus facta, *d. l. 36. §. 1. C. d. t.* Ubi notat Brunnemannus hanc tertiam esse exceptionem in donatione Magistri militum, vel Ducis belli, quam confert ex propriis bonis, vel ex spoliis hostium in benè meritos milites. Et rationem sumit è favore militiæ, qui facit, ut hæc donatio videatur remuneratoria, quæ insinuationem non requirit. In his donationibus si aliquis est favor, hic ad alias piæ causas non est extendendus, sed potius restringendus, secundum Imperatoris Constitutionem in *l. 19. C. de SS. Eccl.* quæ habet, etiam piæ causæ factam donationem subjacere necessitati insinuationis, nisi specialiter fuerit excepta. Aliud tamen dicendum videtur de Jure Can. uti constat ex Julio Claro, *lib. 4. sent. §. donatio quest. 17. num. 1.* Tiraquell. de privil. piæ causæ & Gomez. *tom. 1. var. res. c. 4. n. 10.* Quartò, donatio pluriù rerum singularium, quarum non una, sed omnes conjunctim numerum quingentorum solidorum excedit, tot enim intelliguntur esse donationes, quot vicibus sunt factæ, *l. 34. §. 4. C. de don.* Vide Zoëf. ad *tit. de don. num. 52.* Quintò donationes Remuneratoriæ propter singularia merita, quia potius sunt compensationes, quàm propriè ita dictæ donationes, *arg. l. 27. ff. de don.* Sextò tandem de Jure Can. donatio juramento confirmata, quo, uti supra dictum, omne juramentum est servandum, quod non vergit in contumeliam Numinis divini, vel in detrimentum tertii. Cum verò privatæ personæ huic insinuationi renunciare nequeant, quamquam cuilibet alias favori pro se introducto renunciare liceat,

quod hic non privatum, sed publicum interesse verferetur, *arg. l. 38. ff. de pact. Carpz. part. 2. c. 12. d. 14.* quæritur: An idem obtineat in Principe, & an per consequens à Principe facta donatio sine insinuatione non subsistat? Et dico, eam valere, sive à Principe privato; vel à privato Principi facta sit, per *l. 34. in fin. princ. & seq. Auth. item à privato C. de don.* Princeps enim legibus est solutus, *l. princeps. 31. ff. de LL.* & libertas ipsius nullis frenis aut cancellis ejusmodi coërceri debet, *arg. l. pen. C. de don. inter Vir. & Ux. l. ult. C. de præpos. ag. in reb. Marc. Mantica, conf. 1. num. 15.* Tiraquell. de Nobilitate, c. 37. num. 53. Riminal. tit. *Inst. de don. §. 1. n. 221. edit. 2.* Modest. Pist. *quæst. 9. num. 2. lib. 3.* Bocer. in *Comment. de don. c. 3. n. 73.* Imò omne id, quod coram Principe fit, non clam, sed palam fieri intelligitur: ille enim ut plurimum proceres penes se habet, *arg. l. omnium 19. C. de testam. Bald. in d. l. sancimus 34. C. de don. & denique nulla fraus nullusque dolus ob Majestatem & dignitatem personæ timeri potest, Obrecht d. disp. 2. th. 192.* Sicuti autem donatio à Principe facta privato non indiget insinuatione, ita quoque, uti supra monitum, nec principi facta à privato, *Nov. 52. c. 2. & auth. item & à privatis C. de don.* Vult tamen Constitutio Imperatoris in allegatis modò textibus, hujusmodi donationem à Principe privatis factam probari publico instrumento & testiū subscriptione, qui non requirebantur. *L. Zenonis, quæ est l. 31. C. h. t.* Et quamvis superius adducta *l. 34. h. t.* tantum de Imperatore loquatur; hodiè tamen etiam de aliis Imperii statibus observatur, *Menoch. conf. 1. num. 374. Bocer. d. cap. 3. num. 77. Wesenb. conf. 27. n. 2. & seq. part. 1. Carpz. p. 2. c. 12. d. 16. n. 4.* Maximè enim indecorum esset horum Dominorum donationes ad certa solennia adstringere, cum donare, liberalitatem & munificentiam exercere proprium sit Principum, & præcipuus Nobilitatis actus, qui meritò à libero eorum arbitrio simpliciter pendere debet: sicuti post Abbatem, *in. C. 1. de donat. asserit Obrechtus d. disp. 2. de donat. th. 197.* Cæterum in Belgio consideratur, ratione donationum insinuationis, præscripta olim à jure quantitas 300. Aureorum, quam si donatio excedat, opus est, ut coram notario fiat, vel in scriptis propria manu signatis, aut coram aliis publicis personis juxta *Edictum anni 11. & art. 19.* Jure Gallico omnes donationes sine omni causæ & quantitatis distinctione, à die,

à die, quo sunt, intra quatuor mensium spatium insinuari debent apud acta Judicum Ordinariorum; alioquin inutiles & sine effectu sunt, Petr. Theodos. in Syntag. Jur. lib. 28. c. 13. num. 16. Hispani habent Constitutionem Caroli V. quam Filius ejus Philippus II. Rex perpetuò observari voluit, ut omnes illæ donationes insinuentur, quæ summam excedunt 500. Aureorum, coram Judice supremo loci, ubi vel res donatæ sitæ sunt, vel donatores vitam agunt, Guido Papæ dec. 325. Gutierrez. de juramento. p. 1. c. 7. Molin. de just. & jur. disp. 278. per tot. & Merenda lib. 1. Contr. cap. 14. & seq.

XXXIX.

Eò quòd affinitatem quandam cum donationibus conjugum habere videantur donationes à sponso sponsæ factæ, de illis verò supra dictum sit, & huc referatur quoque Morgengaba, sive in Legibus Longobardicis & Jure Feudali Morgantica dicta, de eâ, quod licita sit contra Joh. Sichardum omnes Dd. cõmuni statuunt consensu. Dicitur verò Germanicâ & vulgari linguâ matutinum munus, à Morgen quod est mane, & Gab/ donum. Munus autem erat, quod sponsus die Nuptiarum mane sponsam salutans, ei coram propinguis & amicis, ante nuptiale convivium donabat. Latini munus nuptiale ac matutinum vocant, Livius lib. 30. hunc nuncium ac simul venenum ferens minister, cum ad Sophonisbam venisset: Accipio inquit Nuptiale Munus, nec ingratum, si nihil majus Vir Uxorè prestare potuit, hoc tamen nuncia, melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem. Et est nuptiale hoc munus Virginitatis præmium. Cujusmodi donatio olim Romanis etiam usitata fuit: Hinc vetus Juvenalis interpres in illum locum, Dacicus Germanicus, inquit, solidi ita signati, qui pro virginitate depositâ novæ nuptiæ donantur. Quomodo hinc differat hæc Morgengaba à contradote, sive donatione propter Nuptias, quæ à marito ejusve nomine fit uxori in vicem dotis, & matrimonii causa, facile elicere licet. Cui contradoti simile est dotarium illud, sive dotalitium, moribus introductum, quod uxoribus constitui solet, ut eo post mortem maritorum fruantur, de quo in c. plerumq. de don. propter nupt. Etiam vocatur Vicilitium, aliis Vicitalitium, Germanis widdumb/ & eibguth/ & eibzucht/ usitatius & eibgeding/ Paul. Matth. Wehner. pract. observ. tit. & eibgeding/ Chrïst, Besoldus in thes. pract. d. tit. & verb. Wic- tumfir/

tumſis / pro quo tamen rectius ſcribi, *Widdumbſis* / atque ita dici à domino cenſet Joh. Otho Tabor. ad tit. *C. demetat. & Epidem.* p. 2. c. 3. th. 20. Sic cui non ſufficiat dotalitium moribus introductum, is legat Nic. Henelium de *Jur. dotalit.* c. 1. §. 8. Sic quoque ſponſalicia largitas, quæ etiam interdum vocatur donatio propter nuptias, validè exercetur, datur enim ad affectum & amorem conciliandum, juxta illud Poeticum.

Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere;

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Quæ ſi matrimonium non ſequatur, oſculum autem interven- rit, dimidia reſtituenda eſt; ſi nullum, tota reſtitui debet, *l. 15. de ſponſalib.* l. 16. C. de don. ante Nupt. Oſculum ſiquidem quoddam initium conſummationis nuptiarum eſſe videtur, & fruitio ſponſæ quodammodo: ſic ſi copula intervenierit, magis obtinebit, quia juris præſumptione matrimonium conſumari videtur, c. 30. x. de ſponſal. ubi autem perfectum & conſumatum eſt matrimo- nium, donationem hanc manere apud accipientem nemo dubi- tat, juxta *d. l. 16.* quæ de actu nuptiali perfecto agit: Et hæc obti- nent, ſi caſu mortalitatis impeditum fuerit matrimonium. Si verò alio modo impediatur, & de impedimento non conſtet, acquiritur res donata nihilominus ſponſæ, ratione ſcilicet copulæ vel oſculi, uti modo dictum. De cætero diſtinguendum eſt: an ſpon- ſus cauſa ſit impedimenti; an ſponſa, vel an uterque? Primo in caſu retinet rem donatam ſponſa: in ſecundo tota eſt reddenda: in tertio Fiſcus datum vindicat, *l. 23. §. ult. ff. de don. inter Vir. & Ux.* l. 4. C. de inceſt. nupt. Licet verò in hoc ultimo caſu ſponſa culpa non careat, & ejus turpitudine ex parte verſetur, videtur tamen poſſe retinere, quod accepit, tamdiu, quamdiu non auferretur à Fiſco: cum ante ſententiam nemo teneatur ad poenam, Gomez. *d. l. 1.* Sponſalicia itaque ſic largitas ſit ſub conditione ſubſe- cuti matrimonii propter conciliandam affectionem: Ex eoque differt à donatione propter nuptias, quæ ſit in dotis compensa- tionem, *d. l. 16.* Vide Scip. Gentil. de don. inter Vir. & Ux. lib. 4. c. 12.

XL.

Convenientiam quandam cum his habet Arrhæ datio: quæ ſimili modo licita eſt, & deſcribitur ſponſaliorum argumentum in *l. ſi quis. 38. ff. de R. N. l. 3. C. de ſponſal.* Unde Arrhæ ſponſalitiæ vocari

vocari ceptæ sunt munuscula, quæ in symbolum & tesseram sponsaliorum dantur: per ea autem non contrahuntur sponsalia, sed hunc in finem dantur, ut per signum in oculos hominum incurrens melius probentur: magis enim creduli sunt oculi hominum, quàm aures, *l. 35. ff. de contr. Empt.* & hanc Arrham sponsa retinet, si sponsalia nuptiæ sequantur, *l. 3. C. de Sponsal.* Si verò nuptiæ casu sint impeditæ, nempe morte; Arrha sponso restituitur, propter causam non secutam, ex quâ data est *d. l. 3. C. de Sponsal.* Si culpa sponsi intervenerit, quo minùs matrimonium sequeretur, sponsa arrham retinet: si autem culpa sponsæ nuptiis impedimento fuerit, arrham in duplo sponso restituere tenetur, *l. 3. l. 5. C. de Sponsal.* ita tamen ut duplo huic insit simplum. Quæritur autem hic: Si sponsus ultra biennium distulerit nuptias, & sponsa ex impatientia mota cum alio contraxit, an sponsus amitrat arrham; vel An sponsa ad restitutionem dupli teneatur? Prius affirmatur per *l. 2. C. de Sponsalib.* limitatur verò, nisi penes sponsum justa dilationis causa fuerit, e. g. Peregrinatio, Valetudo, aut alia similis, *l. pen. ff. de Sponsalib.* Huc quoque pertinent Arrhæ proxeneticæ, & sunt munuscula, quæ sponsus sponsæ dat in symbolum sponsaliorum per tertiam personam, apud quam interdum deposita manent: Et quanquam inter Vir. & Ux. donationes per interpositam personam fieri nequeant, quia factum illud in fraudem legis vergeret, *l. si sponsus. S. generaliter. ff. de don. inter Vir. & Ux.* Hæ tamen inter sponsum & sponsam, tanquam media ad conditiones nuptiarum expediendas, non prohibentur *l. ult. ff. de Sponsalib.* Proxenetæ verò Græcum verbum est, & propriè interpretem significat, aut pararium, cujus scilicet beneficio aut interventione inter duos negocia contrahuntur: Proxeneticum autem, quod Græci etiam *φιλάνθρωπον*, quasi donum benignè datum, appellant; est præmium illud, quod proxenetis datur: ex quo de differentia arrhæ proxeneticæ, & proxenetici satis clarè constat. Quibus præmiis certus quoque modus est præscriptus, ne videlicet proxenetæ nuptiarum plus vicesima parte dotis & donationis propter nuptias sibi habere possit, ita tamen, ut si vicesima decem libras auri excedat, decem tantum libras sibi habeat: atque id quidem Constitutione Græcâ, quam ex Basilicis refert Jacob. Cujacius, *Obs. lib. 11. c. 18.* de his est rubrica *C. lib. 5.*

de sponsalibus, & arrhis sponsalitiis, & proxenetis: Et in tantum tenentur partes nuptias contrahentes proxenetæ, sive proxenetriæ, quæ & *προνηστεια* vocatur, quantum iis per stipulationem promiserunt: nuda enim conventio non sufficit, l. ult. C. de sponsal. si que nulla talis promissio intervenerit, donum est, & ex mera sponsi vel sponsæ liberalitate dependet, ideoque inviti ad dandum aliquid non compelluntur: honestatis tamen signum est, si beneficium, cujus semper memores esse debemus, beneficio respondet. Hinc Ovid.

*Huic igitur meritas grates, quascung, licebit
Pro tam mansucto pectore semper agam.*

Cui assentit Hesiodus.

*Aequum ut ametur amans: qui accedit, jungitor illi.
Da, tibi qui dederit, qui non dederit tibi, ne da.*

XLI.

Non autem sicuti Arrhæ, ita & pœnæ promissio in sponsalibus valet, l. 134. ff. de V. O. l. 2. C. de inutil. stipul. c. requisivit & c. gemma. x. de sponsalibus. Ratio verò ex hisce utriusque Juris textibus desumpta est, ne per pœnæ adjectionem libertas matrimoniorum, quæ cum bonis moribus maximam congruentiam habet, constringatur, aut omnino expiret. Vide Brunnemannum ad d. l. 2. C. de inutil. stip. Non obst. quod licitum sit, arrhas in quadruplum usque stipulari: & quoniam triplum illud, quod ultra arrham in conventionem venit, nihil aliud est, quàm pœna; contrariæ opinionis Doctores exinde inferunt: Si in sponsalibus Arrha pœnæ nomine quadruplicari potest, pœna in iisdem etiam potest promitti. Atqui prius est, E. & posterius. Verùm R. Quod à quadruplicatione arrhæ, cujus arrhæ fundamentum, ratione simpli, legibus est probatum, cujusque fundamenti virtute, à sponsis per conventionem duplicari, triplicari, vel quadruplicari potest; ad pœnam, quæ in sponsalibus omninò promitti nequit per supra allegatos textus, non procedere argumentum. Neque obst. Imperatoris Leonis Nov. 18. ubi statuit: ut pœnalis stipulatio in sponsalibus quoque locum habere debeat, idque de consuetudine sui temporis fuisse dicit. Constat enim, nihil, quod inhonestum vel contra bonos mores est, consuetudine posse introduci:

roduci: eo ipso verò dum libertatem tolleret matrimoniorum hæc pœnæ stipulatio, bonis moribus repugnat, & juris consuetudinarii dici non potest: Constat quoque juxta Græcorum Interpretum testimonium, Leonis Novellas ne ipso quidem imperante magni valoris fuisse, Aretin. Alciat. & Bart. ad *l. Titia*. 134. de *V. O.* Neque interest, sive stipulatio hæc pœnæ illicita facta sit vel Affirmativè, hunc in modum: si mihi nupseris, vel me duxeris, centum dare spondes? Vel Negativè: e. g. Si mihi non nupseris, vel me non duxeris, centum dare spondes? Neutra enim valida est: Prior non, quia legibus est prohibita, *l. si ita stipulatus*, §. 7. d. t. l. 1. & passim ff. de don. inter Vir. & Ux. Posterior, quia pœna in ea versatur, quæ est Legibus interdicta, d. l. Titia 134. de *V. O.*

XLII.

Accedit denique his donatio propinquorum, qui matrimonii causâ donare, propter potestatis rationem, regulariter nequeunt, ante nuptiarum tamen tempus in sponfos si quid conferunt, tanquam donatio inter sponfos facta sustinetur, *l. pen. ff. de don. inter Vir. & Ux.* Collatio verò illa, ut animo donandi fiat, requiritur, ita, ut donantes exprimant se donaturos: simpliciter enim, si paulò ante nuptias aliquid transmittunt, non donare, sed ornamenti causa sponfis id communicare videntur: donasse enim, nisi de ejus voluntate certò constet, nemo præsumitur. Quia donare perdere dicitur, *l. 7. pr. de don.* nemo autem suum jactare præsumitur, *l. 25. de probat.* Sufficiunt verò quælibet signa ad voluntatem declarandam apta, nec refert, verbis, literis, per epistolam, vel nuncium facta fuerit *l. 25. de probat.* sic etiam ex taciturnitate & mora petendi, donandi interdum voluntas declaratur, in casibus scilicet in legibus expressis & determinatis, qualem habemus in *l. 26. de pact.* Ea verò quæ ita donantur à Cognatis sponsæ, eidem quoque acquiruntur per *l. si mater vestra C. de don. ante nupt.* Bald. cons. 215. lib. 4. Illa enim donatio, quæ semel perfecta est, non rescinditur, sed semper manet ei, qui jus semel quæsitum in ea habet, & per hanc rationem cadit illa, quæ desumpta est à Bartolo ex *l. sed si plures 10. §. in arrogato 6. de vulg. & pup. subst.* quod nimirum in dubio videatur sponso facta donatio, quia à propinguis & cognatis ejus intuitu ipsa celebrata esse videtur: In hoc autem casu cujuslibet loci statuta & jura consuetudinaria re-

spicienda, quæ in plerisque ita tenent, ut eorum, quæ in nuptiis donantur, partem dimidiam tribuant marito, & alteram dimidiam uxori: Quod verò consuetudini his in casibus plurimum fit tribuendum, patet ex *l. ut liberis C. de Collat.* & ibi *Jafon. n. 7. & 8.* Vide *Befold. in thes. Pract. V. Hochzeitschenckungen. Treutl. vol. 2. disp. 7. th. 10. lit. c.* Lud. Molinam *de I & 1. tract. 2. disp. 430. n. 4.* Joh. Francif. Balthasar *pract. resol. Jur. Civ. & Bavar. part. 3. concl. 32. n. 4.* Fontanellam *tom. de pact. dot. 2. claus. 7. gloss. 3. num. 49.* Rebellum *2. part. de oblig. Justit. lib. 6. de commerc. & societ.* Magnifici Domini Brandmylleri *Manud. ad jus Can. & Civ. diff. xenia vel dona & c.* De hac verò & antecedentibus quibusdam donationibus cum dictum sit, eas valere, ita intelligendum est, dum eis absit turpitudinis: turpis enim causa etiam donationes aliàs licitas vitiat atque turpes reddit: Qualis est illa apud Juvenalis antiquum interpretem *Satyr. 2.* ubi sic notat. *Hister, infamis qui omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ob hanc scilicet causam, ut simul dormiret is, qui & illum corrumpere, & illi misceretur, puellæ itaq; conscia sibi, quæ noverat eum corrumpi, tales videntur aliis uxorem potius ducere, quàm sibi, vel sibi, id est, suo nomine, ut Servius honoratus in *Ecl. 8.* Virgilio ad illa verba*

— — *Tibi ducitur uxor*

id est, sub tuo nomine aliis ducitur, ut eam non ipsi, sed aliis servitutam significet, scilicet ejus corruptoribus.

XLIII.

Donationes sancit Justinianus inter vivos semel perfectas, firmas illibatasque permanere debere, *l. ult. C. de revoc. don. l. 3. l. 6. C. d. t.* jus enim semel donatario quæsitum non debet ei sine causa auferri, quod ad eò firmum est, ut ne rescripto Principis quidem rescindatur, *l. 5. C. d. t.* Nec enim in cujusquam injuriam beneficia tribuere moris est principalis, *l. 4. C. de emanc. liber.* quoniam, quod totius negotii conditionem tollit, & vires principalis negotii exhaurit, sine gravi partis alterius dispendio convelli non potest. *l. 2. C. de precib. Imp. off.* Cum tamen aliquando evenire possit ut ex accidenti donatio hæc talis revocari valeat, illud quoque de nostris à Conjugibus factis donationibus intelligendum statuo, & hoc per argumentum à Majori ad minus desumptum. Si enim validæ & perfectæ donationes certis in casibus aliquando

do revocari possunt, multò magis irritæ & imperfectæ. Causæ verò hæ accidentales constituuntur duæ. Prima consistit in ingratitude donatarii: Altera in supervenientia liberorum. Ingratitudinis verò in Jure Civili quinque recensentur species, quarum ratione donatarius ingratus vocatur. Videlicet, si donatori injurias atroces, vel manus impias inferat, si vitæ ejus insidietur, si grandem jacturam substantiæ & bonis donatoris ingerat, si pacta & conventiones donationi appositæ violet, *l. ult. in pr. C. de revoc. don.* quas quinque species hæc includunt versiculis.

*Quinque modis perdo, mihi quæ donata fuere,
Infero si damnum graviter donantis in ære;
Si per me sit huic atrox injuria facta:
Et sua persona naturali vulnere tacta,
Quando suæ vitæ crudeliter insidiabor,
Ingratum factum dic me, si fregero pactum.*

Jure autem Canonico quatuor tantùm enumerantur revocationis species. Si scilicet in donatorem injurias atroces effuderit, ei impias manus injecerit, vitæ illius insidias struxerit, & grave rebus suis damnum ingesserit, *c. ult. X. de don.* Quintam verò à Jure Civili approbatam causam hic rejectam esse sequentibus ex rationibus docet JCrus Consummatissimus Dominus Brandmyllerus in Manu duct. ad Jus Can. & Civ. *differ. donatio revocatur.* Cujus hæc sunt verba: *Diversa est juris utriusque intentio. Canonicum proponit nudam donationem: Civile proponit donationem & nudam, & eam, cui donator adjecit conventiones, quas donatarius implere sponderit. Canonicum proponit eas ingratitude causas, quæ sunt perpetuæ. Civile proponit etiam eam, quam conventionis contemptus notat. Canonicum proponit eas, quæ committuntur maxime circa personas: Civile proponit etiam, quæ est circa rem, quâ donatarius forsitan non tam ingratitude donatori nocere, quàm omisso conventionum implemento, sibi prodesse voluit. An verò præter has causas ingratitude modo recensitas, possit ex aliis similibus & majoribus revocari, quæstionis est? Sed cum ab utraque parte variæ sint rationes, textus, atque Magnorum Virorum Authoritates, quæ me huc vel illuc haud difficulter impellere possunt, vix invenio, quò inclinem. Negativam Classem tenent: Donellus, Hunnius, Giphanius, Hottomannus, Obrechtus, Hackelmannus,*

Perez & Carpzovius, qui dicunt Justinianum Imperatorem certas voluisse ingratitudinis causas, ex quibus donatio revocari possit, proponere, *S. alia 2. in fin. ibi certis ex causis. Inst. de don.* si verò & aliæ sint præter istas, sequi, imperatorem non satisfecisse proposito, quod tamen de eo non est præsumendum: Deinde regulam ab eo proponi in *l. ult. C. de revoc. don.* ubi scribit: *Generaliter sancimus: Omnes donationes lege confectas firmas illibatasque manere, si non donationis acceptor ingratus circa donatorem inveniatur: ita ut atroces injurias in eum effundat, &c.* & à causas quinque enarrant exceptionem subjungi, illam verò in casibus non exceptis regulam confirmare, & strictè esse accipiendam per *l. quesitum 12. S. deniq. Neratius 43. ff. de instr. & instr. leg. l. 1. ff. de R. J. Nov. 7. c. 2.* hocque satis innuere particulam taxativam dictæ *l. ult.* insertam, *versic. ex his enim tantummodo causis, &c.* eamque ab Imperatore non frustra fuisse adjectam, sed voluisse eum certas causas definire, cæterasque excludere, hoc elucescere ex odio dictæ *l. ult.* quæ pænam decernit illis, qui in donatorem ingrati extiterint: odiosa autem per se & sua natura esse restringenda, *l. si præses 32. & l. interpretatione 42. ff. de pen. C. odio 15. & c. in penis 49. de Reg. Jur. in 6.* Contra quos ex parte Affirmativa stant Clarus, Mozzius, Menochius, Gomez, Molina, Treutlerus, Bachovius, Dominus Lauterbach, & Virad invidiam doctus, Dominus Brandmyllerus. A quibus cum ex ponderosioribus, ut mihi videtur, rationibus, argumenta à cætu Negantium adducta rejicerentur, dissentire (cum alterius partis me esse Solonis lex jubeat) ab iisdem nequeo. Et consistunt Responiones eorum brevibus in his terminis: Quod quanquam Imperatoris mens fuerit in *d. S. 2 & l. ult.* causas ingratitudinis recensere, tamen per illas non exclusisse similes & majores, quia particula taxativa, in qua se Contradictentes fundant, eas nunquam excludit, *l. 1. S. 1. si mens. fals. mod. dix.* Absurdo enim non absimile esset juxta Everhardum & Cujacium in *C.* si propter similes & majores causas revocari non possit donatio. Regula verò illa, quod odiosa per se & suâ naturâ sint restringenda, *l. 32. & 42. de pen.* hic non invenit locum: negatur enim actionem hanc esse odiosam, sed potius est favorabilis, utpote, quâ delictum ingratitudinis punitur, & indigni re donatâ privantur. Quam sententiam in praxi quoque observari testatur Treutl. *Vol. 2. disp. 19. th. 7. ibiq.* Bachovius. XLIV. An

An verò donatori liceat pacisci de non revocando, propter ingratitudinem donatarii, controvertitur. Et negatur, quia renunciatio hæc induceret donatarium ad delinquendum, *l. 27. §. 3. & 4. ff. de pact. l. contractus 23. vers. excepto eo ff. de R. J. pactum enim ejusmodi turpem causam continere, & contra bonos mores esse per alleg. ll. censetur. Speculator ad tit. de don. §. 1. num. 5. Boerius conf. 41. num. 11. Tiraquell. in l. si unquam 8. in præf. n. 140. C. de revoc. don. Bocier. in Commentar. de don. c. 3. num. 99. Obrecht. diff. 3. de don. th. 107. Gomez. tom. 2. c. 4. n. 14. Gutierrez. de juram. confirm. part. 1. cap. 10. n. 5. & 6. Neque pactum ejusmodi juramento confirmatum de Jure Civili valet. Quia negotium illud, quod per se invalidum est, juramenti adjectione valorem non acquirit, *l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 5. C. de l. l. sustinetur tamen de Jure Canonico. Et si donator per juramentum contestatus sit, se nunquam revocaturum donationem factam, etiamsi causa ingratitudinis in donatario intervenerit, illam, casu hoc tali existente, revocare nequit, peccatum enim induceret, si contra juramentum ageret: nullum verò donatoris est peccatum, qui donationem non revocat, *cap. 6. X. de jurejur.* Juramentum autem, quod absque peccato servari potest, est servandum juxta *cap. 25. §. fin. X. d. 1.* Ubi Vir Uxori suæ juramento promittens se illam non accusaturum de adulterio, adstringitur ad illud servandum, cum facere hoc possit sine peccato, & ita non accusare de crimine illo uxorem: & hoc ita obtinet, quatenus cernit utilitatem privatam, non verò publicam, cui pacto suo etiam juramento confirmato, ne minimum quidem derogare potest, *cap. si diligenti X. de foro comp.* Attende, num hoc juramentum sit contra utilitatem publicam principaliter, tunc enim non est servandum: num sit contra utilitatem publicam secundariò, tunc servari potest, quoniam bono publico non magnum inde oritur præjudicium, & renunciat is, cujus principaliter interest. Ut autem revocetur donatio ex causâ ingratitudinis, datur actio donationis revocatoria, donanti, contra donatarium, ad illud, quod donatum recuperandum. Et licet *l. 7. de Revoc. don.* quidam moti statuunt, hanc actionem esse realem, quia ibi ab Imperatoribus Constantino & Constantio dicitur habere effectum vindicationis; Revera tamen personalis est,**

per

per alleg. l. 7. versic. actionem verò, ubi hæc sunt verba: *Actionem verò matris ita personalem esse volumus &c. quanquam in effectu cum reali conveniat.* E quibus verbis distinguitur inter ipsam actionem, & inter actionis effectum. Ipsa actio personalis est, qua mater suam injuriam potius ulciscitur, quàm rem persequitur. Actionis effectus communis est cum rei vindicatione, quod affirmare non est absonum, cum in effectu convenire possint opposita. Opponuntur sibi invicem actio personalis in rem scripta, & actio realis, in effectu tamen conveniunt, quod utraque detur adversus tertium, l. 14. §. 3. & §. quod met. caus. l. 3. §. 3. ad exhib. §. 5. Inst. de nox. act. In quo autem consistit illa convenientia? Consistit in eo, ut non detur hæredibus, nisi de donatore vivente revocatio facta fuerit, l. fin. in fin. C. de revoc. don. Aut nisi donationis natura hæredis personam includat. In l. 2. C. de condic. ob caus. dat. Alexander Afclepiadi rescribit, *Si ut proponis, pater tuus eâ lege sorori tuæ prædica, ceteraque, quorum meministi, donavit, ut creditoribus satisfaceret ac, si placita non observata essent, donatio resolveretur, eaq; contra fidem negotii gesti versata est, non est iniquum actionem conditionis ad repetitionem rerum donatarum tibi, quæ patri successisti, decerni.* Non datur adversus hæredes, l. 22. C. de pæn. l. 7. in med. d. t. nisi lis cum defuncto fuerit contestata, eo enim casu transit adversus hæredes ejus, quia per litis contestationem quasi contrahitur, & regulariter omnes actiones fiunt perpetuæ, facit, l. 39. in pr. de R. J. quo omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel incluse judicio salvæ permanent. Et l. 164. eod. qua pænalia judicia semel accepta in heredem transmitti possunt, §. 1. Inst. de perp. & temp. act. Pænales actiones, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, & hæredibus dantur, & contra hæredes transeunt.

XLV.

Altera revocandæ donationis causa est supervenientia liberorum, l. 8. C. de revoc. don. Cujus rei ratio naturalis consistit in amore illo naturali, sive *σὸφρῆ*, uti vocant, parentum erga liberos, quam comitatur civilis, quia nemo præsumitur extraneos propriis liberis anteferre, l. 102. ff. de cond. & demonstr. Unde recte dicitur donationi huic inesse conditionem illam tacitam: Quod tunc demum donatoream valere velit, si liberi non nascantur, & ita potius supervenientes habere, quàm primos donatarios. Hæ duæ rationes

rationes Naturalis & Civilis individuo nexu sic cohærent, ut una veniat in consequentiam alterius: nam nemo præsumitur extraneos propriis liberis anteferre propter amorem illum naturalem Parentum erga liberos. Quanquam verò *d. l. 8.* mentionem faciat liberorum in plurali, eadem tamen ratio cum obtineat in uno, idem etiam erit statuendum: Quoniam sub numero plurali etiam continetur singularis, quatenus in singularitates suas potest resolvi, *l. 148. ff. de V. S.* Sic in *l. 2. §. 11. vi bonor. rapt.* bona rapta sic accipimus, etiamsi una res ex bonis rapta sit. In *l. 16. de neg. gest.* Negociorum gestor est, etiam qui unum negocium gessit. An verò per liberos intelligantur tantum legitimi; An & legitimi, & naturales, & spurii, dubitatur? Affirmatur prius, loquitur enim lex de liberis, quoties verò in jure nostro simpliciter liberorum mentio fit, toties de justè & legitimè natis, non etiam de legitimatis mentio facta censetur: Quam rationem respondendè nobis suppeditat *Cap. quamvis de rescriptis in 6.* per quod legitimatio non debet vergere in præjudicium eorum, qui habent jam jus in re quæsitum, quale & penes donatarium reperitur, cujus per hoc donatio per rescriptum Principis non infringitur; Rescripta enim, quæ alicui jus suum auferunt, sunt invalida, *l. 2. C. de prec. Principi off.* Qui adversari videntur, volunt jure naturæ inter legitimum & non legitimè natum non posse distingui, ac si successio pariter legitimo & non legitimè nato deberetur: Si enim hoc intelligas ita, quod jus naturæ hoc præcipiat, planè est falsum, quia hoc jus rationem & modum succedendi non determinat, sed determinandum legibus positivis relinquit. Sin verò ita accipias, quod naturali rationi, remotâ lege positivâ, sit consentaneum; tunc contrarium esset asserendum: cum succedendi ratio non aliunde, quàm ex præsumpta voluntate defuncti, possit desumi: jam verò creditur quisque in dubio velle, ut potius ad legitimè, quàm illegitimè natos bona sua perveniant. Ex quo colligitur, quod de legitimatis per subsequens matrimonium, quæ legitimatio facit, legitimatos habere omnia jura legitimè natorum, atque ita quasi agnasci; aliter sit sentiendum. Idem est in Jure feudali, & quando in *l. Feud. 2. tit. 26. §. naturales.* Feudista ait. *Naturales filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudî, nec soli, nec cum aliis admittuntur, legitimatos per subsequens matri-*

monium, quod spectat, si præcisè velimus verbis *d. §. naturalis* inhærere, omnino dicendum erit, nehos in feudo succedere: Verùm Interpretes & Usus hac in re magis respiciunt jus Civile, quo expressè sancitur, quod isti legitimati omnia jura justorum & legitimorum liberorum consequantur, *Nov. 89. c. 8.* cui consonat Jus Canonicum, *c. tanta. 6. x. qui filii sint legitimi.* Atque hinc restringunt *d. §. naturales.* ad legitimatos per rescriptum Principis. Quam restrictionem frustra nonnulli ex ipsis *d. §.* verbis defumere laborant. Commodius verborum istorum generalium restrictio peti potest ex ratione istius textus. Nimirum legitimati excluduntur *d. §.* propterea, quod successores feudales debeant ex primi acquirentis sanguine legitimè descendere: Ille verò, qui per subsequens matrimonium legitimatur, eodem jure habetur, quo ille, qui post matrimonium natus, quia licet tempore procreationis nuptiæ nondum initæ, postea tamen maritus & uxor facti sunt, ex quibus iste natus, adeoque subsequuto matrimonio rectè dicitur ex iis, qui jam maritus & uxor sunt, descendisse: atque hinc is, perinde ut natus post matrimonium, inter legitimè descendentes refertur. Longè alia est ratio legitimatorum per rescriptum Principis, his enim extrinsecus per Majestatem Principis jura legitimorum, quantum fieri potest, tribuuntur, & à patre, absque intercedente cum matre eorum conjugali vinculo, in numerum liberorum assumuntur, adeoque nulla ratione ex matrimonio descendisse, dici queunt. In legitimatis autem per subsequens matrimonium illud ipsum, quod ante deficiebat, & obcujus defectum nati sunt illegitimi, jam verè adest: nudè legitimis liberis, qui ex matrimonio generantur, meritò accensentur: & licet in investitura habeantur verba: *sür sich vnd seine Eheliche geborne Leibslehens Erben:* tamen hi legitimati non remouentur à successione. De spuriiis & naturalibus cum non cadat in eos idem numero affectus Patris, rectè Negatur: Spurius enim dicitur incerto Patre natus, quod de semine patris nulla sit certitudo: de quo filio verò pater meritò dubitat, de eo non tantum concipere amorem præsumitur, ac de eo, cujus se patrem credit. Plutarchus in *problem. c. 103.* refert aliam hujus verbi originem, desumptam à primis literis sive notis S. P. quibus nomen spurii solebat notari, ut iisdem notis & hoc prænomen, & vulgò quæ-
litus

fitus designaretur, atque ita errore quodam prænomen Spuriū etiam de vulgò quæsitis dicatur, cum revera prænomen spuriū aliter, sive, aliis notis scribatur, aliis vulgò quæsitus. Spuriū scriberetur notis non distinctis SP; vulgò quæsitus notis distinctis S. P. Quemadmodum Prætor & Populus Romanus eisdem quidem notis, sed populus Romanus interpunctis P. R. Prætor non interpunctis PR. notari consuevit. Sed & hæc notatio, Giphano ad §. 12. *J. de nupt.* non improbabilis censetur, ut spurius sit, quasi non purus. Etenim & spurcum inde deductum videtur, ut Plautus in *Afinar. act. 4. sc. 1. ad fin.*

Tot reddat spurcas, quod puras habuerit.

Deinde licet evenire queat, ut pater pari affectu prosequatur eos, lex tamen illorum rationem nullam habet, quilibet autem præsumitur velle & cogitare ea, quæ secundum Leges sunt. Obtinet hic, 1. *Axioma Gaddei ad l. 125. de V. S. n. 3.* non solum in contractibus & ultimis voluntatibus, sed in omni humano actu eam interpretationem & invenendam, & inventam præferendam, quæ dignitatem, pietatem, verecundiam, existimationem, honestatem, & jus publicum saluum & inviolatum conservat. Adde elegantem Val. Maximi *lib. 2. c. 9.* locum. Nam, cum M. Antonius & L. Fl. Censores, Duronium, tribunum pleb. insigni notâ afficerent, quod superiore anno L. sumptuariam de conviviorum sumptibus abrogasset, ita ad Populum Censores: *Quam enim impudenter, inquit, Duronium rostra conscendit illa dicturus, Freni sunt incerti nobis, quiritates, nullo modo perpetiendi: alligati & adstricti estis amaro vinculo servitutis, Lex enim lata est, quæ vos frugi esse jubet: abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim, quid opus est libertate si volentibus luxu perire non licet d. l. 2. c. 5.*

XLVI.

Nobis illa, atque ex utrâque parte à Doctoribus agitata hic decidenda venit quæstio. An nimirum *d. l. 8. C. de Revoc. don.* dispositio, tantum de Patrono loquatur; an ad quemcunque donatorem liberos non habentem extendi possit? Quod posterius tanquam veritati consentaneum, in Praxi receptum, & in Camerâ approbatum, cum Mynsing. *cent. 1. obs. 63.* affirmamus. Quamvis enim *d. l. 8. de Patrono donatore & liberto donatario* expressè sit concepta, non ineptè tamen ad quemcunque alium donato-

rem liberos non habentem porrigitur, quoties enim adest rationis Legis generalitas, toties Lex ipsa generalis cenfetur, quia dispositio Legis, quantumvis ad certas personas accommodatæ, ex generalitate rationis extensionem admittit: ubi verò non potest ostendi diverfitatis ratio, sed eadem est, ibi idem jus ponatur, neceffum est, *arg. l. 3. §. 1. ff. de injust. rupt. & irrit. fact. test.* Atqui *d. l. 8.* ratio est talis, *l. 102. ff. de Condit. & demonstr. l. 30. C. de fideicommiss.* ubi in susceptis postea liberis, & ita in conjecturâ pietatis donantis bona sua ratio ponitur, quæ donaturus non fuisset, si de liberis cogitasset: pater enim non præsumitur proprio sanguini extraneos anteferre voluisse, *l. 6. §. 1. C. de Inst. & subst.* & ita tacitam hanc semper conditionem, si liberi postea nati fuerint, donationi adjecisse intelligitur donator tam Patronus, quàm omnis etiam alius. Et ad has adductas Legum rationes accedit multorum illustrium virorum maxima Authoritas, ut sunt *Mozz. in tr. de don. tit. ult. num. 74. Cujac. lib. 20. observ. cap. 5. Fachin. lib. 3. controuv. jur. cap. 85 Bocer. in comment. de don. cap. 3. num. 110. Forster. disp. 10. ad Inst. th. 18. Gomez. tom. 2. var. ref. cap. 4. de don. num. 11. Treutl. disp. 19. th. 7. vol. 2. Bronchorst. cent. 3. ἐναρθεα-φαιών assert. 74. Hunn. lib. 2. var. ref. jur. Civ. tr. 4. quæst. 10. Hackelman. disp. illustr. 19. th. 17. Hænon. disp. 6. ad Inst. controuv. 21. Vultej, in §. alia autem, n. 21. Inst. de don. & ibid. Heigius in fin. Gotthofred. in not. ad. d. l. 8. lit. 1. c. de revoc. don. Hahn. disp. feud. 9. th. 17. Carpz. p. 2. c. 12. d. 32. Finckelth. obs. 36. Dn. Lauterb. ad tit. de don. Dn. Brandmyl. Theoreticorum nostri ævi facile Princeps in Manuduct. ad Jus Can. & Civ. differ. donavit quidã. Contrariæ opinionis Authores Magni nominis quoque Jcti sunt Corasius, Connanus, Hottomannus, Giphanius, Donellus, Hilligerus, Faber, Arumæus, Kubachius, Bachovius, Ludvvell, Rjemerus, Vinnius, qui se fundant in variis Juris textibus & rationibus, inter quas non ultimum locum obtinet ratio, *l. 21. ff. de test. mil.* ubi habetur: Quod, quoties lex de certis concepta sit personis, quibus aliquid beneficii tributum velit, certum sit, legem ad alias personas non pertinere. Atqui hanc *l. 8.* esse talem ajunt. E. idem in eadem observandum & statuendum. Sed Respondetur infringendo regulæ hujus generalitatem, per exceptionem in LL. Codicis contentam. Licet enim in *d. l. 8.* mentio fiat liberti, id tamen sit propterea, quia in illa*

illa lege, sicuti in plerisque legibus Codicis fieri sæpius solet, continetur rescriptum ad certum casum propositum, propterea etiam ad illum casum refertur: Constat autem, quod in legibus Codicis, non tam ad verba, quam ad mentem Imperatoris respiciendum sit, quæ si attenditur, illam non movet qualitas donatarii, inæstimabile scilicet beneficium liberti, illud enim si locum haberet, tunc etiam donatio, quæ facta est liberto existentibus & viventibus liberis, revocari possit, de quo tamen casu aliter pronuntiandum. Alia itaque quærenda est ratio, & consistit in præsumptâ, uti modo diximus, donatoris voluntate, quæ tam patrono, quam reliquis donatoribus est communis: Sic quoad *l. 5. C. de don.* verum quidem est, quod donatio perfecta nullas recipiat condiciones, at nostro in casu tacita jam est conditio, quæ consistit in pietatis conjecturâ: & ex eadem ratione fit responsio ad *c. cum dilecti in 6. de don.* ubi dicitur, quod in re dubiâ pro donatario fieri debeat interpretatio, quam interpretationem hic eadem pietatis ratio prohibet. Unum diutissimè ortum est dubium è *l. fin. C. d. t. de revoc. don.* in quâ omnes causæ revocandæ donationis recensentur, & tamen hujus supervenientia liberorum nulla penitus mentio fit. Quia & ibidem Imperator sancit, omnes donationes firmas illibatasque manere oportere, nisi ingratus extiterit donatarius in donatorem. Et subjicit tandem, postquam causas justas ingratitude recensuisset, ex his tantummodo causis donationem revocari. Cui omnino consequens est, donationem propter supervenientes liberos revocari non posse: R. particulas istas taxativas, *tantummodo, nisi, si non, &c.* non habere vim excludendi causas alias æquè graves aut graviores illis, quæ includuntur. Deinde excluduntur in *d. l. fin.* aliæ causæ ingratitude, præter illas recensitas, non verò aliæ causæ revocandæ donationis. Denique si ista *lex fin.* quicquam ad propositum faceret, efficeret quoque, ne quidem donationem inter Patronum, & libertum celebratum propter liberos postea natos revocari posse. Quid si in Ecclesiam collata sit donatio? Respondet Tuldenus non absurdè censei, quem æternam animæ suæ salutem dispendio liberorum temporario redemisse, ut non obtineat opinio eorum, qui volunt legitima tenus donationem revocari. Vide Tiraquellum ad *d. l. si unquam num. 66.* Verum Ec-

clesia pietatis æquitatisque religiosè tenax ad extrema & infesta jura non confugit. Vide Christinæum *decif. cur. Belg. vol. 4. dec. 192. num. ult.*

XLVII.

Sicuti autem in causa ingratitude pactum etiam juramento confirmatum revocationi, quin illa valeat, nihil obesse diximus, ita nec pater beneficio, l. 8. C. de revoc. don. sub juramento renunciare potest, quia vergeret juramentum hoc in supervenientium liberorum expressum præjudicium & fraudem. Andr. Gail. lib. 1. obs. 40. num. ult. Forster. disp. 10. th. 20. Mysinger cent. 5. obs. 63. num. 10. & seq. Carpzov. part. 2. c. 12. d. 33. qui & in praxi ita observari testatur, arg. l. 9. §. 5. ff. de jurejurando. Lex quoque nostra 8. expressè statuit, quod omne, id quod donatum fuerit, revertatur, & hoc imperativè, non voluntariè. Neque contradicentium ratio in contrarium movet, qui dicunt, patrem renunciare huic legi validè posse, ideo, quia revocatio dependet tantùm ab ipsius præsumptâ voluntate, præsumptio autem cedit veritati, Fachineus lib. 3. controv. jur. c. 84. Bocerius in Comment. de don. cap. 3. n. 133. Verùm Bz. quod huic præsumptioni insit pietatis ratio, in quâ ipsa veritas radicatur, quæque nullo modo in liberorum fraudem quid fieri permittit. Ut autem revocatio hæc locum inveniat, requirit l. 8. ut donator bona omnia, vel magnam eorum partem fuerit largitus, aut rem singularem maximi pretii, quando verò res vilioris pretii donata fuerit, quàm veri simile est donatorem etiam existentibus liberis donasse, donatio non revocatur, Gail. lib. 2. obs. 102. num. 5. Bocerius in d. Comment. de don. cap. 3. num. 132. Tiraquell. in repetit. d. l. si unquam 8. in verba omnia vel partem aliquam num. 24. C. de revoc. don. Perez. in C. d. t. num. 18. Carpz. d. part. 2. const. 12. d. 32. distinguenda sunt duo lemmata. Primum est, si pater ab initio statim, quando donat, renunciat juri revocandi donationem, etiam eum in eventum, quo liberi supervenerint, & tunc renunciatio valet. Secundum lemma est ipsa thesis. Revocatur liberis supervenientibus res donata à donatore, vel Reivindicatione, vel conditione juxta Donell. in h. l. si unquam 8. C. de revoc. don. Donator enim natis postmodum liberis dominium rei donatæ recepit, ejusque nomine contra donatorem, tanquam rerum donatarum possessorem rei vindicationem

rectè

rectè instituit, *l. 23. in pr. ff. de R. V.* Conditione verò experitur ex tacità donatoris & donatarii conventionem, quæ radicatur in tacità illâ conditione, si liberos non susceperit, quo tacito consensu, uti supra dictum, donator dedisse intelligitur, eaque mente donatarius rem donatam accepisse, quæ tacita conventio parit hanc conditionem *l. actionum 25. ff. de Obl. & Act. §. 1. Inst. de Act.* Hic observari debet effectus primi lemmatis, quo renuncians non renunciat juri liberorum, quin post mortem patris donationem inofficiosam arguant.

XLVIII.

In totum itaque ex duabus his causis revocatur donatio; Ex parte verò per querelam inofficiosæ donationis, si scilicet ita immoderata, immodica & immensa sit, ut liberorum legitima per eam imminuatur, *l. 2. l. 3. & l. 4. C. de inoff. don.* Occurritur itaque hac querelâ inofficiosis voluntatibus, sicuti etiam fit in illa inofficiosi testamenti, quare etiam ad similitudinem illius introducta dicitur, *l. 4. in fin. & l. ult. C. d. t.* tollitur etiam utraque præscriptione quinquennii *d. l. fin. C. d. t.* daturque ad salvandam legitimam una liberis & Parentibus iniquè exhæredatis, *l. 8. ff. de inoff. test.* Altera liberis contra donationem immensam à patre factam, *l. 1. l. 2. l. 7. C. b. t.* & Parentibus contra donationem immodicam liberorum *l. 4. d. t.* In eo verò differunt, quod querela inofficiosi testamenti competat solummodò in causâ testati, & contra hæredem scriptum post aditam demum hæreditatem, *l. 8. §. conditione. ff. de inoff. test.* Quærela autem inofficiosæ donationis ut plurimum competit hæredi ab intestato, *l. 3. C. de inoff. don.* illa testamentum ipso jure reddit nullum, ita ut de jure veteri totum reducatur ad causam testati, & omnino nihil ex illo valeat. *l. 8. ff. de inoff. test.* Quod tamen per jus novum limitatum legimus: ita, ut rescindatur tantum institutio, salvis manentibus legatis & fideicommissis in *Nov. 115. c. 3. in fin. & c. 4.* Hæc verò querela totam non revocat donationem, quia non in totam peccatum est; pœna autem non debet egredi delictum, sed ratione tantum legitimæ immoderatam donationem rescindit. *Gail. lib. 2. obs. 38. num. 15. & obs. 116. num. 4. Hotom. lib. 1. Amic. resp. cap. 12. Ant. Faber. lib. 3. conjectur. jur. cap. 17. Molinæus in tract. de inoff. don.* Si verò donatio tota sit inofficiosa, re & consilio in extraneum collata à Patre

à Parre in totum revocatur & rescinditur, l. 78. §. 3. ff. de leg. 2. & l. 16. ff. de Jure Patron. Emanuel Suarez in thes. recept. sent. sub tit. D. in ver. don. num. 251. & Mozzius in tract. de don. num. 91. & seq. Remedia verò, quibus inofficiosa donatio revocatur, sunt vel querela inofficiosa donationis, quæ & ipsa Actio dicitur l. 6. & tot. tit. C. de inoff. don. l. 2. l. 4. l. ult. C. d. t. & de quâ modo actum: Vel petitio restitutionis in integrum, eo scilicet in casu quo donator ob minorem ætatem patrimonium suum per immoderatas donationes exhaustit, l. si filius. 4. d. t. Vel, denique Actio famil. Hercisc. si nimirum Pater in unum ex filiisfam. omne suum patrimonium, impetu quodam immensæ liberalitatis, effudit, l. 2. C. d. t. Sic quoque donanti ex causâ, causâ non sequente, cum ipso jure donatio nulla sit, datur Rei Vindicatio, Mozz. in tract. de don. tit. ult. Cessant hæc remedia, si is, qui potuisset hæc remedia amplecti, voluntatem donantis agnoverit, l. 6. C. de inoff. don. aut si similitudo, de quâ modo, idem suadeat. In l. ult. C. d. t. de inoff. don. non convenit dubitari, quod immodicarum donationum omnibus querela ad similitudinem inofficiosi testamenti legibus fuerit introducta: ut sit in hoc actionis utriusq. vel una causa, vel similis existimanda, vel idem & temporibus, & moribus.

XLIX.

Reliquum est, ut consideremus Effectus hujus inter Virum & Uxorem prohibitæ donationis. Quanquam enim inter eas nulla sit possessionis donatio, l. 46. ff. de don. int. Vir. & Ux. ex donatione tamen transfertur possessio in accipientem rei traditione, l. 1. §. 4. de A. vel A. P. l. 1. §. ult. pro donato: Quanquam autem pars accipiens malâ fide possideat, l. 19. pr. l. 26. de don. int. Vir. & Ux. causam tamen possidendi donatio præstat, l. 63. d. t. l. 48. §. 2. de furt. neque eodem numero est is, qui ex hac donatione possidet, ut alius malæ fidei possessor, sicuti superius explicatum. Dominium vero rei hoc modo donatæ manet apud dantem, l. 3. §. 10. l. 5. §. 9. d. don. inter Vir. & Ux. Hinc & ejus est periculum, si res vel pereat, vel deterior fiat, l. 16. l. 28. §. 3. d. t. donans verò quicquid per servum vel ancillam donatam acquiritur, aut quod rei donatæ accedit, omne facit suum, l. 7. §. 1. l. 19. pr. l. 28. §. 5. d. t. daturque ei in casibus, in quibus non valet donatio Actio ad repetendum, & quidem si res extat, Rei Vindicatio; si consumpta est;

est; Condictio sine causa, aut ex injustâ causâ, l. 5. §. *fin* l. 33. §. 1. l. 39. l. 55. d. t. Interdum etiam Actio ad exhibendum, & damni injuriæ, si dolo ejus, cui res donata, consumpta sit, l. 37. d. t. Datur quoque utilis Rei Vindicatio in casu, l. 29. §. 1. l. 30. l. 55. d. t.

L.

Cum inter Doctores quàm maximè controvertatur. An & qualis possessio à donatore marito in donatariam uxorem transferatur? Hoc in thesi hac ultima finaliter decidendum sumimus: & brevibus dicimus possessionem transire naturalem in donatarium, manere verò penes donantem possessionem civilem, l. *si eum qui* 26. ff. de don. inter Vir. & Ux. ubi Paulus ait mulierem non possidere Jure Civili. E. Naturalis penes illam est possessio, & non falsa, si ve corporalis tantùm detentio, sed vera possessio, quàmvis injusta, propter interdictum scilicet Juris, non verò ita injusta, ut opponatur bonæ fidei possessioni: Uxor enim rem donatam verè pro suâ & affectu Domini possidet, sed naturaliter & injustè: Jus enim civile talem possessionem improbat, ob causam interdictæ donationis, ideoque Jure Civili possidere non intelligitur, d. l. *si eum qui in pr.* ff. de don. inter V. & U. De commodis verò ex hac possessione provenientes, quæ cum varia tam generalia, quàm specialia sint, (Mulier enim, non sicuti reliqui possessores injusti, quanquam contra LL. non tamen contra voluntatem domini possidet, l. *si donata* 36. ff. d. t. l. *si id.* ff. pro derelicto. Imò neque planè contra LL. possidere videtur, quia ex Divi Antonini oratione facilè hæ donationes confirmari possunt, neque jus hoc donationis inter Conjuges nimis amarè exercendum est, l. *si id.* quod donatum 28. §. 1. l. sed si vi r. 31. §. 7. ff. de donat. inter Vir. & Ux.) & à nobis partim in superioribus explicata terminorumque ratio hisce positionibus finem imponere me jubeat; variis que exinde remediis inter Conjuges locum tenentibus fiteo, atque finalia Thesisibus hisce impono.

Deo Ter Opt. Max. cujus auspicio has positiones
exorsus sum

Sit in occidua laus, gloria, amor, & obsequium!

DE DONATIONIBUS CONIUGUM

Coniugum inter se facta sunt ex iure iuris civilis. Et si quis aliter fecerit, non valet. Et si quis aliter fecerit, non valet. Et si quis aliter fecerit, non valet.

Coniugum inter se facta sunt ex iure iuris civilis. Et si quis aliter fecerit, non valet. Et si quis aliter fecerit, non valet. Et si quis aliter fecerit, non valet.

Deo Teste. Ex his causis augetur per iudices. Et si quis aliter fecerit, non valet. Et si quis aliter fecerit, non valet. Et si quis aliter fecerit, non valet.

SPNE